

2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.





DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA

De

REMEDIIIS AD-  
VERSUS SENTEN-  
TIAM COMPETENTIBUS,

QVAM

DEO T.O.M. feliciter assistente

Ex Decreto

Amplissimi Ictorum Ordinis in cele-  
berrimâ Argentoratensi Academiâ,

Pro

Honoribus Doctoralibus  
ritè consequendis,


Solenni Eruditorum Examine

sistit

JOH. WOLFFGANGUS TEXTOR,  
Consil. Neolitho-Hohenloicus.

Ad diem 4. Aprilis Anno M. DC. LXIII.

In Auditorio majori horis solitis.



ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII.

13.

Sup. 82

1663, 75.

16

S.

pro

C.

en.

am,

isq;

.22.

itel.

on-

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.

ne.



93  
*ILLUSTRISSIMIS AC GENE-  
ROSISSIMIS*

Comitibus ac Dominis

DNO. JOHANNI FRIDERICO,

DNO. SIGISFRIDO,

DNO. WOLFFGANGO JULIO,

DNO. JOHANNI LVDOVICO,

Comitibus de Hohenloë & Gleichen,

Dynastis in Langenburg & Cranichfeld,

militiæ Generali Equitibus ac Chiliarchi

Comitibus ac Dominis suis clementissimis,

*Vt &*

DNIS. CONSVLIBVS AC SE-

NATORIBUS INCLYTÆ ARGENTINENSIS

Reipubl. Viris Nobilissimis, Amplissimis atque

Gravissimis, Dominis Patronis ac Fautoribus

suis ætatèm demerendis.

*quâ debet animi subjectione & obsequio*

offert, dedicat,

*humilissimus Servus*

*ac devotissimus*

JOH. WOLFFGANG. TEXTOR.



14  
*Illustrissimi & Generosissimi Comites,  
Domini Clementissimi,*

nec non

*Nobilissimi atq; Gravissimi Dnm. Consules  
ac Senatores, Patroni perpetuò suspiciendi,*

**C**UR Illustriss.<sup>rum</sup> Generosit.<sup>um</sup> Vestr.<sup>um</sup>  
pace belloque longè deprædicatissima,  
Vestr. quoque Nobilit. atque Amplitud.  
fatis insignia nomina, his tam angustis pagellis  
præfixerim, ea causa fuit, ut aliquod humilimæ  
ac etiam devotæ obligationis meæ extaret testi-  
monium. Ut enim illa beneficia non com-  
memorem, quæ ex Clementiâ Vestrâ, Illustrissi-  
mi ac Generosissimi Comites, Domini clemen-  
tissimi, inde ab incunabulis propè in me præter  
meritum redundârunt. Sanè sequiorem notam  
attrahere viderer, si vel unū hoc, q̄ Illustrissim.<sup>rum</sup>  
Generosit.<sup>um</sup> Vestr.<sup>um</sup> auspicio atq; promotione,  
ad idem Consiliarii officium, cui parens b. an-  
te hac per 30. annos & amplius præfuerat præter  
cæteros sum assumptus, pro singulari gratiâ, &  
quasi pro compendio Clementiæ vestræ, non  
agnoscerem, debitâq; humilitate contestarer.  
Sed nec id deficit, Nobilissimi atque Gravissimi  
Domini Consules ac Senatores, Patroni opti-  
mi, unde Nobilitat. Vestr. atque Amplit. maxi-

)? ( 2

mas



93  
mas gratias debeam, videlicet, cum in Inclytâ  
hâc Argentinensi Academiâ, cuius quasi pater-  
nam curam geritis, studium meum inprimis  
juridicum magnâ ex parte decurrerim. Itaque  
præsens Dedicatio utrinque, & apud Illustrissi-  
mas Generosit. Vestras, à quibus officium & sa-  
larium accipio, & apud Nobilit. atque Amplit.  
Vestr. sub quarum Academiâ studiis præsertim  
incubui, mentis decenter affectæ ac beneficio-  
rum memoris, officio defungi debuit. Ceterum  
quia magnis nominibus qualiscunq; hæc Dis-  
sertatio minus respondere potest, ad Clementi-  
am Vestram, Illustrissimi ac Generosissimi Co-  
mites, Domini clementissimi, ad favorem Ve-  
strum Nobilissimi & Gravissimi Domini Con-  
sules ac Senatores, in supplementum provoco,  
quàm possum humilimè, quàm possum sub-  
missè rogans, ut hanc dedicationem serenâ  
fronte accipere, meq; Clementia & favore, uti  
hactenus, sic in posterum quoq; prosequi haud  
dedignemini. Dabam Argentorati postrid. id.  
Mart. An. 1663.


Illustrissim. Generosit. Vestr.

Nobilit. atque Amplit. Vestr.

*humilimus servus ac devotissimus*

JOH. WOLFFG. TEXTOR.





**A**rdnam hanc & spinosam materi-  
am, de remediis adversus sententiam com-  
petentibus pro sui amplitudine concisè  
tradituri, operæ pretium nos facturos pu-  
tamus, præsertim ne in hac rerum tractan-  
darum varietate, neglecto legitimo ordine, incerti erre-  
mus, si totam disputationem ad certos titulos redegeri-  
mus, & illos vicissim pro re natâ ad sua quasi capitula colli-  
gamus. Quod sanè commodius haud fieri posse videtur,  
quàm si statim ab initio, quænam & quot illa sint, de qui-  
bus agimus, adversus sententiam competentia juris reme-  
dia, distinctè exprimamus; Sunt autem eadem, prout qui-  
dem de jure communi, & constitutionibus Imperii tra-  
duntur octo, & hæc ferè: Appellatio, Querela nullitatis,  
Revisio, Supplicatio, Syndicatus, restitutio in integrum,  
retractatio, & reductio ad arbitrium boni viri. Unde hoc  
eodem ordine illa seorsim, & primò quidem remedium  
Appellationis percurremus hac methodo, ut primùm vi-  
deamus, quid sit, deinde quotuplex, 3. Qui appellare pos-  
sint vel non. 4. A quibus iudicibus, & ad quos. 5. In  
quibus causis appellatio procedat. 6. Quæ sit summa ap-  
pellabilis. 7. Quæ sint appellationis tempora, 8. Qui  
effectus. Quibus præmissis ad rem ipsam accedimus.

A

Tit.



## DE APPELLATIONE.

Num. 1.



Appellare non uno modo dicitur, interdum enim valet idem ac nominare, ceu patet ex communi usu loquendi, interdum significationem habet planè diversam, & idem importat, quod blanditiis attentare alterius pudicitiam, ut apparet ex *l. 15. §. 20. ff. de injur.* quandoque significat qualemcumque defensionem, quæ ratione effectus appellationi est similis ut in *l. 32. §. 14. ff. de recept. arbitr.* non rarò autem accipitur, prout est synonymum provocationis, unde sæpissimè in jure unum pro altero sumitur, ut passim constat, *tot. tit. ff. & C. de appell.* quo etiam fit, ut appellatum esse in jure scripto, sit prædicatum Judicis, quasi diceretur, *Einer auff dessen Urtheil man sich beruffen hat* / secùs ac de consuetudine & ex usu forensi, ubi appellatus significat partem in inferiori victricem, in superiori verò judicio, ream, & hoc demum sensu ad nos pertinet appellatio, potestque definiri, quòd sit juris remedium, quo contra inferioris Judicis impositum gravamen, Judicis inmediate superioris, cognitionem intra legitimum decennii tempus imploramus, ut is prioris judicis erratum per sententiam reformet & hæc justitiæ patrocinetur, dico, **REMEDIUM JURIS**, quia hæc verba sese habent in modum generis, & competunt etiam aliis, de quibus hac vice dicturi sumus, juris beneficiis. Dico **A JUDICE INFERIORE**, nam ab eo qui est sumus sive penes quem est potestas Legum Majestatica appellari nequit. Unde Juris Consultus Ulpianus in *l. 1. §. 1. ff. à quib. appell.* stultum est, inquit, illud admonere, à principe appellare fas non esse, cū ipse sit, qui provocatur; addo, **CONTRA IMPOSITUM GRAVAMEN**, quando enim constaret manifestè, appellantem non fovere justam causam, sed tantum protelandæ, aut etiam eludendæ sententiæ gratiâ appellationem interposuisse, deferri eidem nequit, cujusmodi species est in *l. 2. C. quorum appell.* Subjuxi **JUDICIS SUPERIORIS**, quia hoc necessariò requiritur *c. anteriorem 11. q. 6.* nam ob defectum jurisdictionis nec ad parem, nec ad minorem competenter provocari potest, *l. 1. §. 3. ff. de appell. c. cum inferior extr. de majorit* multò minus ab eodem ad eundem, ratio est, quòd judex jam sit functus officio suo, nec sententiam à se latam prætextu iniquitatis retractare possit *tot. tit. C. sent. resc. non posse.* quod ipsum procedit non tantum quoad sententiam definitivam, sed etiam



3.

etiam quoad interlocutoriam, etsi doctissimi aliqui viri, eatenus contrarium asserere malint. Fundamentum est, quia licet iudex proferendo interlocutoriam de jure non possit dici, functus officio suo, & rependere gravamen sic illatum per definitivam, tamen ex eo non sequitur, propriè loquendo hoc fieri, interposità appellatione, videlicet, cum, ut diximus, proformâ in appellatione requiratur, ut iudex ad quem, sit superior, *d. can. anteriorem*. Unde consecutarium est tali casu, formalia appellationis non debere observari ad effectum declinandæ læsionis, sed posse pendente processu, pro reparatione gravaminum indéfinitivâ coram eodem iudice petitionem institui. Annexum est porro in definitione IMMEDIATE SUPERIORIS, appellatio enim fieri debet gradatim, adeò ut nec ad principem rectè appelletur, omisso medio per *l. 21. ff. de appell.* Quod tamen jure canonico quoad summum pontificem secus est, cum is immediatè provocari possit *c. 7. extr. eodem*. Porro jure civili appellationes non observato ordine, factæ, haud simpliciter nullius sunt momenti, sed tunc demùm quando fiunt ad minorem iudicem, alioquin si ad parem vel etiam majorem interponuntur in tantùm valent, ut ad competentem remitti debeant *l. 1. §. 3. ff. de appell.* Quis verò hic dicatur iudex major, par vel minor & an hoc æstimandum sit respectu Judicis à quo, an Judicis ad quem disquiri utique potest? Jctus in *d. l. 1.* hoc non exprimit sed tacitè innuere videtur, ut quancumque iudex aliquis incompetenter appellatur, modò major sit aut par, eo qui appellari debuit, appellatio non sit irrita, secus si sit minor, ratio est, quia hoc ipsum requiritur ad substantiam appellationis, ut fiat à minore iudice ad majorem. E. appellatio quæ ad parem fit respectu Judicis à quo, non est, vel dici potest appellatio, & ex consequenti, quia Jctus appellationem ipso jure subsistere pronunciat, quæ ad parem fit, major, par vel minor iudex intelligi debet respectu iudicis ad quem, qui competenter debuit provocari, *Arg. l. 19. ff. de leg.* De jure Canonico solet hac de re contrarium astrui, videlicet appellationes sine debito ordine interpositas, nullius plane esse momenti propter *c. 66. extr. de appell.* ubi Pontifex in ejusmodi casu sententiâ latam improbat; ita Anton. Peretz in *C. h. t. n. 15.* Sed re vera non apparet, quemadmodum exinde effici queat; Appellationes non gradatim factas, eo jure in tantùm infirmari, ut nec possint habere effectum devolutivum respectu Judicis qui ex ordine competenter adiri debuit; Pontifex enim in *d. c. 66.* non ex eo capite appellationem irritat, quòd non sit interposita gradatim, sed quia



- taliter factâ appellatione, *Archi-Episcopus* causæ cognitionem suscepit, & etiam sententiam protulit, cum utrumque fuisset *Episcopi* *Dicecesani*. Pone in specie *d. l. i. d. tit. de appell.* *Præfectum* urbi per errorem provocatum, non *Consules*, controversiam in iudicio appellationis decidisse, sane etiam jure civili improbabitur sententia ut patet, E. utroq; jure verum est, appellationes non gradatim propositas in casu, quando iudex major vel par, respectu iudicis cōpetentis ad quem, provocatus est, valere respectu *Judicis*, qui ex ordine, & competenter provocari debuit, saltem ad effectum remissionis, arg. *c. i. extr. de Nov. Oper. nunc.* Præterea positum est in definitione, **INTRA LEGITIMUM DECENNII TEMPUS**, quia decendium est fatale interponendæ, quo lapsa appellatio non procedit: *Nov. 23. c. i.* Sunt etiam plura appellationis tempora, seu ut vulgò vocantur, fatalia, de quibus infra suo loco: Porro sequitur in prædicta definitione, **UT IS PRIORIS IUDICIS ERRATUM REFORMET**, ea enim est ratio & causa finalis hujus remedii, tametsi interdum accidat, ut prior sententia, dicente *Ulpiano*, in *l. i. in princ. ff. de appell.* in pejus reformetur; nec talis reformatoria sententia propterea non est justa, sed se habet ut decretum prætoris iniquum, quod justum est ratione ejus quod fieri debuit, non ejus quod est factum *l. ii. ff. de just. & jur.* per hoc item quod in definitione dicitur, ut per sententiam reformet, distinguitur remedium appellationis, à querelâ nullitatis, in quâ non retractatur prior sententia; vel decretum, sed tantum declaratur nullum. Denique, quod in fine sæpè dictæ definitionis subnectitur, **ET LÆSÆ IUSTITIÆ PATROCINETUR**. Innuat ultimum scopum & intentionem appellationis, cum enim sæpè contingat, *Judices* aut per inscitiam, aut per malitiam malè judicare, oportuit profectò, consecuturis jus suum, aliquod proflare remedium, quo contra talem sententiam uterentur, quamvis id ipsum nostris temporibus valdè in abusum vergat, ac, verba sunt gravissimi *Jcti Perezii* in *comment. ad Cod. h. t. num. 1.* ad frustrationes & moratorias dilationes transferatur, & non tam refugium oppressorum, quam diffugium & præsidium calumniantium efficiatur; hinc videre est quàm sollicitè tùm alii, tùm imprimis *R. I. N.* ad refrenandas frivole appellantium libidines, variis adhibitis sanctionibus collineent *R. I. N. de anno 54. §. wie aber zu verhüten & §. und nach dem allen.* Hæcque res causam perhibere videtur, cur in *Camerâ Imperiali* appellationis formalia, tam strictè & rigidissimè de praxi observentur, pluresque inibi ex audire liceat non devolutorias vel desertorias, sive etiam confirmatorias, quàm prioris



5.  
prioris sententiæ reformatorias, prout usus docet & singulæ ferè sen-  
tentiarum Cameralium publicationes, sed hæc de definitione appella-  
tionis hætenus dicta sufficiant.

CAP. II.

*Appellatio Quotuplex.*

VENIO ad secundum membrum, videlicet ad divisionem, ac primo  
quidem appellatio respectu actuum, à quibus interponitur in ju-  
diciali, quæ ab actu judiciali sc. à sententiâ interlocutoriâ vel defini-  
tivâ, & extra judicialem, quæ ab extra judiciali actu fit, dividi rectè po-  
test. Hujus posterioris in jure passim extant exempla, sic tutor super  
rejectâ excusatione appellat *l. 1. §. si quis tutor ff. quand. appellat. sit.* Item  
qui adscribatum *l. 4. C. hoc tit.* vel decurionatum, aut aliud aliquod mu-  
nus civile vocatur, *l. 7. eod.* similis quoque species est in *c. constitutus ex-  
tra hoc tit.* ubi appellatio ab electione Decani est permittâ. Porro à de-  
finitivâ sententiâ quin appellari possit, dubium non est. Quod ad in-  
terlocutoriam attinet, jure civili recipit distinctionem, aut enim in-  
terlocutoria, damnum per definitivam irreperabile secum trahit, &  
merita causæ ita ingreditur, ut ad absolutionem vel condemnationem  
momentum afferat, (quo quidem casu à practicis solet vocari mixta)  
aut in terminis alicujus certi articuli subsistit, nec summam rei tangit,  
vulgoque dici assolet interlocutoria simplex, ab interlocutoriâ mixtâ  
jure civili certum est, appellationem locum habere, per text. *l. 2. C. de  
appell. recipiend.* Nequaquam verò ab interlocutoriâ simplici per *l. 7. C.  
Quorum appellat. non recipiantur l. 16. C. de judic. l. 1. C. de episcop. aud.* Jure  
Canonico hæc distinctio cessat & à quovis gravamine etiam ante defi-  
nitivam appellare permittitur, ut patet ex *c. 3. de appell. in 6.* Quantum-  
vis Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 20. de reform.* hanc rem ad con-  
formitatem juris civilis redegerit, ut adeo in locis in quibus id rece-  
ptum est, hætenus idem jus observari debeat. De jure constitutio-  
num Imperii idem quod jure civili obtinet, introductum est, scil. non  
ab omni interlocutoriâ, sed eâ tantum, quæ gravamen per definitivam  
irreperabile infert, appellari posse, à cæteris non posse. *Ordin. Cam. p.  
2. t. 28. §. ult.* quod intelligo secundum excellentiam & maximè, nam  
etiam ab interlocutoriâ, quæ non infert gravamen per definitivam ir-  
reperabile, adeoque à simplici interlocutoriâ appellari posse, præsup-  
positis terminis habilibus, constat ex ipsâ *ordin. p. 2. t. 29. §. wo aber von*

A 3

andern

10.

11.

12.



andern. quod ipsum quoque confirmatur per Recessum Imperii *de anno 94. §. wann aber von gemeiner / cum enim ibi dicatur, wann aber von gemeiner Interlocutori so doch appellabel appelliret wird / tacite innuitur non quidem ab omni interlocutoriâ simplici posse appellari, sed dari tamen quandam appellabilem, quandam etiam, à quâ appellatio sit vetita, ratio rationis est, quod ibi ponatur casus, ubi procedit appellatio ab interlocutoriâ communi, quæ ipsa non distinguitur à simplici quia enim in *d. §. wann der von gemeiner / Hæc talis interlocutoria propter particulam adversativam in ibi positam, & contextum immediate præcedentem opponitur sententiæ definitivæ vel vim e jus habenti, profectò non potest esse alia quàm interlocutoria simplex. Probatur hæc eadem sententia ex R. l. de anno 54. §. in appellations sachen / ibi und so fern von einer bey Urtheil / die nicht krafft einer End-Urtheil hätte / appelliret worden wäre &c. ubi manifestè conceditur dari interlocutoriam simplicem appellabilem. Caterùm quando & à quanam interlocutoriâ simplici, appellari possit, tradit Bartol. in l. ante sententiam n. 12. & n. 13. ff. de appell. recip. ubi statuit quando gravamen interlocutoriæ vim definitivæ non habentis per appellationem à definitivâ reparari nequeat, licere appellare, quam doctrinam, tum alii ex Dd. tum ipsa Ord. Cam. p. 2. t. 29. §. wo aber von gemeiner est amplexa unde apparet hæc duo esse distinctissima; Læsionem esse irreparabilem per definitivam, & esse irreparabilem per appellationem à definitivâ; & in hoc quidem consistit differentia duplicis interlocutoriæ, jure constitutionum Imperii appellabilis vid. *Gail. l. observ. 130. n. 1.* Ratio subest optima, nam in casu, ubi appellatio à definitivâ damnum interlocutoriæ resarcit, videretur frustra interponi, ab interlocutoriâ, quò facit *l. 16. C. de Judic.* adeoque ea res tantùm protelaret lites; Secus planè est, quando læsio interlocuti, per definitivam quidem rependi potest, ita tamen ut etiam in eâ succumbens remedio appellationis sufficienter sibi consulere nequeat, tunc enim appellatio ab ejusmodi interlocuto potius respicit necessitatem præcaventis sibi à futuro præjudicio causæ quàm moratoria illa litium effugia. Verùm, quis nam sit ille casus, quo damnum per appellationem à definitivâ removeri nequit, non immerito dubitari videtur: potest enim hoc ipsum adhuc explicari dupliciter, vel sc. quod damnum illud per appellationem irreparabile sit, ob defectum ipsius appellationis quod sc. illa à definitiva in tali causâ locum non habeat, vel quod tametsi competat, non tamen cuidam per eam plenariè sit consultum; utriusque exempla sunt verbi gratia; instituisti actionem injuriarum ad palinodian, & cum paratus esses plenè probare injurias,**

judex

13.

14.



7.

78.

judex adversario defert eo nomine juramentum per interlocutoriam; adeoque per indirectum gravamen tibi jungit, similiter egisti adversus Titium interdicto uti possidetis qui cum tibi opponeret, & per duos testes probare vellet, vitium clandestina ab se possessionis, judex interloquitur alterum testem à testimonio repelli, num quid hoc utroque casu ad Cameram appellare possis, quæritur? ratio & verba *ordin. loc. cit.* faciunt ut utrumque affirmem, cum sc. utroque casu gravamen interlocuti; per appellationem à definitivâ non satis declinetur, quippe in priori specie appellatione ad Cameram planè interdictâ in posteriori verò non proficiente ad effectum inhibitorialium, ut dicitur suo loco, nec obstat, quoad primùm quoad appellatio prohibita, respectu definitivæ etiam prohibeatur respectu interlocutoria; nam hoc verum tantum est in casu, quo prohibitio se tenet ex parte alicujus prærogativæ personæ judicis, nequaquam verò cum appellatio à definitiva interdicta est intuitu causæ, uti pulchrè ex Angelo notat, Card. Tusch. *tom. 1. lit. A. conclus. n. 9.* ratio esse distinctionis potest, quia interdictio appellationis ob personam judicantis, convenit in modum privilegii, E. respectu objecti debet intelligi latius arg. *l. 4. ff. de const. princ.* Secus est quando appellatio consideratur respectu causæ, quia cum eatenus sit de genere permissorum non licebit inferre prohibitionem appellationis respectu interlocutoria, ex prohibitione ejusdem circa definitivam. Sed objicitur *text. Ordin. p. 2. d. t. 28. §. fin.* ubi in casu prohibita appellationis à definitiva per viam querelæ nullitatis simpliciter motæ cognitionem ad Cameram devolvi necessum est, respondeo, ponitur ibi tantùm casus definitivæ nulliter pronunciata, à quâ expressè prohibeatur appellatio non verò interlocutoria, de qua loquimur, specialiter quæro, quid in criminalibus? concludo appellationem tum respectu interlocutoria, tum respectu definitivæ jure constitut. Imper. & etiam de consuetudine prohibitam censeri, ratio est quia, *ord. d. loc. & etiam Rec. Imp. de anno 1530.* juxta consuetudinem, appellationes in criminalibus eò sustulerunt, ne crimina contra vulgarem regulam, manerent diu impunita, cum sc. executionem interpolitâ appellatione suspendere liceret, unde limito superiorem Tuschii regulam, nisi prohibitio appellationis causæ attributa sit intuitu celeris executionis, quia hoc in casu, multò fortiùs etiam de appellatione ab interlocutoria exaudiri debet, per *l. fin. ff. de appell. recip.* Porro appellationem extra judicialem simpliciter, non ita passim & in distinctè recipi, in proparulo est, ratio esse potest quia aliàs sæpè contingeret ex levi causa has appellationes proponi.

15.

16.

17.



poni. Apparet hoc ex Recess. Imp. de anno 1594. §. wann aber von gemei-  
ner/ubi magna est querela de cumulo extra judicialium appellatio-  
num, statutumque ne aliter valeant, nisi cum sententia lata est à judice  
vi potestatis atque jurisdictionis, ceterum si judex se habeat in modum  
partis vigore subsequenti §. darumb sezen ordnen und wollen/ subsiste-  
re non debent, & hoc quidem, casu, quo subditi à decretis extra judici-  
alibus dominorū appellant, est expressum, an verò etiam in ceteris pro-  
cedat, quæstionis esse posset? Puto procedere duplici ratione, primò  
quã etiam in ejusmodi casu plerumque fraus fit, privilegio primæ in-  
stantiæ contra mentem, D. R. 2. quia in sæpè d. §. wann aber von gemei-  
ner/ in modū exceptionis ponitur, quòd appellationes extra judiciales,  
tunc procedant, quando interponuntur ab ejusmodi decreto, quod  
jure & vi potestatis atque jurisdictionis est factum, ut, in casibus non  
exceptis, qualis etiam est is, quando judex in modum partis sese habet,  
18. firmata dici possit regula, per l. 18. ff. de test. Prætereà hic aliqui notant  
tanquam tertium aliquem casum, quod judex interdū extra judicialiter  
gravet, mixtim, hoc est partim tanquam judex, partim ut adversarius,  
conceduntque tunc appellationem habere locum. Hanc sententiam  
sequitur ex practicis Roding. Pandect. Cam. l. 1. tit. 23. n. 8. nec sanè præ-  
ter rem, quamvis enim in d. R. 1. de anno 1594. hoc ipsum expressè non  
asseratur, quippe cum hujus casus directè ibi nulla sit mentio, tamen  
puto hoc ipsum per consequentiã rectè elici, quod ad hoc ut appella-  
tio in casu d. §. darumb sezen/ prohibita sit, non tantum requiratur, ut  
judex tanquam pars sed etiam ut illegitimo modo, decreverit aliquid.  
E. licet intersit, judicis, modo tamen tertii quoque intersit, & ad il-  
lius instantiam latum sit decretum, appellatio erit licita per l. 6. in majo-  
ribus. C. de appell. quod in causâ individuâ, dubium non habet per l. 10. ff.  
quem. serv. amitt. idem dicendum videtur, quãdo judicis interesse, venit  
in consequentiã ex decreto; sed in causâ planè divisâ, non puto esse casû  
dabilè, ubi quis per extra judiciale decretum mixtim gravare dici pos-  
sit, ratio est, quia si pro parte suâ, & pro parte tertii simul gravet, decretû  
quoad illam portionem, censebitur à judice factum purè per modum  
partis, quoad hanc verò purè modum judicis, ideoque ab eo interpo-  
sita appellatio, quoad partem tertii valebit, quoad prætensionem judi-  
cis nequaquam, arg. l. 41. ff. famil. Hercisc. Porro appellatio, quod ad-  
modum attinet, alia fit in scriptis alia vivâ voce; Appellatio quæ fit vivâ  
voce, tum secundum principia juris communis, prout passim ex titulis  
hanc materiam concernentibus, patet, tum secundum constitutiones  
Imperii,



Imperii, semper coram iudice inferiore; scripta verò appellatio etiam coram Notario & Testibus; casu absentiae iudicis inferioris, interponi potest. *Ord. Cam. p. 2. t. 29. §.* Item so soll. quæro, quid si iudex præsens sit? Respondeo verba constitutionis faciunt, ut hoc in casu coram Notario & testibus, appellare non videatur licitum, verum de praxi huiusmodi appellationis ex capite presentiae iudicis rejici vix quisquam meminerit. Caterum appellatio coram Notario contingit mediâ schedâ requisitoriali, quâ Notarii, expressis nominibus tum iudicis à quo & ad quem, tum partis adversæ, causæ, sententiæ latæ, die & horâ, inserto etiam tenore e jus gravaminibus ad deferendum appellationi & conficiendum de super ex more instrumentum; presentibus rogatur, prout hæc omnia constant ex praxi quotidianâ, quæro quot debeant esse testes? Puto sufficere duos per *l. 12. ff. de test.* quæro utrum sufficiat fortuito ad hoc negotium advenisse? Nego sed debent esse specialiter assumpti *R. I. de anno 1512. §. die Notarien sollen.* Verum quamnam appellationes vivâ voce vel in scriptis fieri possint ac debeant videre operæ precium est Appellationes igitur ab interlocutoriis, non scripturâ tantum, sed & causæ expressionem regulariter desiderant *clm. appellanti h. t. & C. ut decibus extr. eod. ord. Cam. p. 2. t. 29. §. wo aber von andern excipe interlocutorias,* quæ vim definitivæ obtinent ab his enim appellationes, ex continenti, seu ante inchoamentum alterius actus, & ut de praxi loquuntur, stante pede, factæ valent oretenus, secus si ex intervallo, interponantur *l. 5. §. fin. ff. & l. 14. C. de appell. ord. d. loc. §. so von Bey-Urtheil / R. I. de anno 1512. §. von Appellation Instrumenten in princ.* quid dicendum erit, de appellationibus extra judicialibus? Puto & in his requiri scripturam *c. ut circa de elect. in 6. c. cordi de appell. in 6. d. clm. appellanti:* Numquid autem causæ quoque expressio desiderabitur? videtur hoc affirmandum secundum *Felin. in c. cum sit Romana n. II. extr. appell.* ubi hanc distinctionem adhibet, ut si à iudice appelletur, desideretur, sin à parte non desideretur scriptura, in eandem sententiam indistinctè abit *Card. Tusch. Lit. A. conclus. 357. n. 12.* Contrariam refert *Specul. tit. de appell. §. qualiter fieri n. 5. & statuit comunem Anton. Perez. ad tit. C. de appell. n. 14. arg. c. consuluit extr. eod.* Puto hanc rem mediâ distinctione decidendam hoc modo: aut loquimur de gravamine futuro, quod ex dicto vel facto iudicis præsentis verò similiter emergere potest, aut de jam omnimodè nato: priore casu haud obscure locum sibi vindicat *d. c. consuluit,* & specifica expressio causæ non requiritur; sed posteriore, ea ipsa per prædictos textus est necessaria; ratio distin-

20.

21.

22.

B

ctionis





tionis est, quia futurum gravamen ad huc in increto versatur, & vel in hoc vel in alio contingere potest, unde sufficere debet expressio causæ præsentis per quam in futurum imponderetur verosimiliter Lælio, præteritum verò certam habet cognitionem, E. etiam distinctè & specificè debet exprimi, ex his igitur apparet, quòd sit regulare appellationem viva voce non procedere, sed duo ad id requiri, 1. ut fiat ex continenti hoc est, ut de praxi loquuntur stante pede, 2. ut fiat à definitivâ vel e jus vim habente, ac tantum de secundo membro.

## CAP. III.

*De his qui appellare possunt vel non.*

23. **S**uccedit tertium quod est de personis; appellare cuilibet est permillum, nec solum ei, qui condemnatus est, sed & ei cujus inter est, sententiam non esse latam *l. 30. C. de appell.* hinc emptore de proprietate victo, & cessante, venditori licitum est appellare *l. 4. §. 3. ff. eod.* sic cohæres victo cohærede & legatarii victo hærede instituto, propter interesse rectè appellant *l. 5. §. 1. & 2. ff. eod.* idque in tantum verum est, ut appellatio, ut pote species defensionis, etiam excommunicato non sit adempta. *c. fin. extr. de except.* modò tamen fiat à læsione judiciali, secus si gravamen illatum foret extra iudicium. *c. cum sit Romana §. si verò extr. h. t.* Accidit interdum, ut quis ratione officii teneatur appellare, veluti tutor & curator in rebus pupilli vel adulti *l. 11. C. de administr. tutor.* nec tantum pro se vel intuitu interesse & officii, sed & procuratorio nomine appellatio est permilla, imò quando datus est ad totam causam, procurator, appellare tenetur, *c. penult. extr. hoc. tit.* Præterea jure civili humanitatis ratione, pro eo qui ad supplicium ducitur, quivis appellare potest, *l. 6. ff. h. t.* Cæterum hoc beneficium denegatur, Primo illi, qui ex suâmet confessione judicialiter nec per errorem facta est, condemnatus, *c. cum speciali §. porro extr. h. t.* 2do. Illi, qui ante sententiam professus est, se à iudice non provocaturum *l. 1. §. 3. ff. à quib. appell. non licet*, idem est in eo quarto qui iudicem recepit ab summo principe ennexâ clausulâ appellatione remota *d. l. 1. §. 4.* verum ut hæc ipsâ clausula aliquid operetur, non tantum ad frivolas, sed ad quascunque appellationes de jure expressè non permillas spectare debet *c. pastor. lis in princ. extra h. tit.* videlicet cum appellationibus frivolis etiam absque illâ clausulâ non deferatur *c. 1. de appell. in 6.* si tamen injustè, nempe, contra manifesta jura, & contra arbitrium boni viri, quis



cuis sit gravatus, in primis in ejusmodi casu, ubi appellatio à tam ini-  
 qua sententiâ nititur expressa indulgentiâ juris, etiam non obstante  
 clausulâ appellatione remotâ, provocare licet ad superiorem *d. c. pasto-  
 rali in princ.* Quod si in medio posita inveniatur, præcedentia & se-  
 quentia capitula afficit, modo cohæreant, *per c. 41. extr. eod.* aliâs secus,  
 ut *in c. inquisit. omi. extr. hoc tit. 5to.* Beneficium Appellationis perdit, qui  
 coram iudice à quo gessit aliquem actum præjudicantem, hic enim ta-  
 citè videtur sententiam ratam habere, veluti quando quis terminum  
 petit ad solvendum, tunc enim facultas appellandi ei denegatur, juxta  
*l. 5. C. de re judic.* Sic etiam per Practicam traditur, eum qui coram eo-  
 dem iudice, denuò litigavit, forte revisionem, vel simile remedium pe-  
 tendo, & iteratò adversam sententiam tulit, appellare, amplius non  
 posse, quòd videatur ita tacitè renunciâsse liti. 6. Qui juravit stare  
 iudicio Ecclesiæ appellare non potest *c. 20. & 21. d. tit. de appell.* Excipe  
 ibidem nisi sit magna læsio, item 7. qui in simili causa appellanti non  
 detulit, ex edicto quod quisque juris, ab appellando repellitur *cap. 42.  
 extr. eod.* denique huc petinet qui bis provocavit in eadem causa, hîc  
 enim tertio provocare prohibetur, Rubr. *C. ne liceat in un. & c.* Verùm  
 hæc exceptio trium conformium sententiarum, ceu notat Gail. *1. obs.  
 72. n. 3. Mynfinger cent. 1. observ. 15.* de consuetudine in Camera Impe-  
 riali non procedit, istâ videlicet ratione, ne à statibus Imperii, per va-  
 ria iudicia gradatim constituta, summi tribunalis jurisdictio eludatur;  
 Equidem de praxi sic observari non reluctabor, vetumtamen in his, u-  
 bi de facto varii illi iudiciorum gradus non sunt constituti, profectò  
 præsumptio illa ad declinandam tertiæ provocationis exceptionem non  
 videtur sufficere *per l. 32. §. fin. C. de appell.* Porro quod ad iudices  
 attinet appellatio simpliciter est censenda, de genere permissio-  
 rem, valetque regula, licitum esse appellare ab omni iudice à quo  
 appellatio specialiter non sit prohibita; illicita est autem provocatio ab  
 aliquo, vel quod fulgeat culmine Majestatis, ut fuit quondam apud  
 Romanos princeps; vel quod gaudeat speciali exemptione legis, qua-  
 lis e. g. reperitur in præfecto prætorio. *l. un. C. de sent. præf. prat. l. 19. C. de  
 appell.* similiter in senatu *l. 1. §. 2. ff. à quib. appell. non lic.* Nostris temporibus  
 præter Imperatorem, etiam Electores hanc habent prærogativam, ne  
 ab illorum sententiis appellari possit, idque vigore *Aureæ Bullæ c. 8. &  
 II.* Caterùm an hoc privilegium de non appellando adhuc dum reti-  
 neant quæstionis est? Constat enim quod Serenissimus Elector Palati-  
 nus, itemque Reverendissimi Electores Ecclesiastici hoc tali privilegio

25.

26.

27.



inde à temporibus A. B. nunquam fuerint usi, ex quo plures colligunt, id ipsum per non usum tanti temporis, tacitè expirasse. Cum primis, quia, ut alioquin traditur, tempus immemorale vim habet privilegii expressi. per *l. 1. §. fin. l. 2. §. 1. ff. de aqu. & aqu. pluv.* Veramenimverò cum concessio prædicti privilegii A. B. expressè annexã habeat clausulam irritantem actus cõtrarios, non potuit ei ob esse ulla præscriptio, ratio est, quia, quotiescunque Lege specialiore, actus præscriptionem alioquin inducentes irritantur, nè tempus quidem immemorale ad eam potest proficere per *l. comperit C. de præscript. 30 vel 40. annorum*, præ primis, quia jus istud suum per expressam protestationem in appellationibus à se ad Cameram factis, Electores, Moguntinus & Serenissimus Palatinus sibi reservârunt, ut notat *Lymn. l. 3. jur. publ. cap. 5. num. 7. & cap. 9. num. 88.* ex quo in *d. loc.* Pro hac sententia plura desumi possunt, eamque refert & fusè defendit Müller. in *not. ad Ryml. super A. B. p. 2. diff. 2. thes. 2. l. A.* Deinde & secundo Archiduces Austriae fruuntur privilegio de non appellando, videatur *Gylm. om. 1. Symph. 1. fol. 6.* similiter 3. Lotharingia & Burgundia duces in causis primæ & secundæ instantiæ privilegiati sunt. *Mynf. cent. 5. obs. 58. n. 1. Gail. libr. 1. de pac. publ. cap. 11. n. 6.* Quarto Duces Sabaudia hæc quoque libertate gaudent *Scacc. de appell. q. 16. lim. 16.* Item 5. Duces Saxonie indistinctè omnes *vid. Wehn. c. 4. fol. 96.* Regnum Sueciae ratione Ducatum, Bremensis, Verdenfis, Pomeraniae citerioris &c. ex instrum. Pac. acquisitarum, Imperii terrarum hoc eodem privilegio perfruitur *Instr. Pac. art. 10. §.* Deinde concedit ut & 7. Dux Württembergia quoad subditos suos inter se litigantes, *vid. Lymn. lib. 5. l. P. c. 16. n. 10.* Sunt præterea plures & Ecclesiastici & politici status Imperii, à quibus appellare non licet intra certam summam; nominatim à Ducibus Brunsvicensibus & Lüneburgensibus intra summam 2000. Floren. aur. ratione trium ducatum *Zell / Wolfenbüttel / und Callenberg* / non appellatur, sic Duces Hassia, Duces Holsatia & Megapolitani privilegium de non appellando habent intra 1000 Aur. Idem privilegium competit Episcopo Herbipolensi, Leodiensi, respectu bonorum, immobilium intra 1200. mobilium verò intra 600. Flor. aur. & plurius præterea Episcopis imperii que civitatibus inter quas sunt præsertim, *Hamburg / Bremen / Straßburg / Nürnberg* / à quibus provocatio intra 600. aur. non permittitur. Videri possunt hæc de materia fusiùs differentes *Ryml. ad A. B. p. 2. diff. 2. & in notis ad illum cit. loco Mull. Roding. Pan. Cam. l. 1. tit. 20.* ferè per totum, & ab his citati plures, uti etiam in eleganti suo *Tract. de civ. Imp.*  
Knipf.



Knipffschild *lib. 3. per tot.* Deinde sunt qui in certis causis privilegium hoc obtinent, non attentâ summâ veluti Holsatiæ Principes; in debitis liquidis & confessatis Hamburgum in causis mercantilibus, Noriberga in causis verbalium injuriarum &c. de quibus similiter consulere licet, *loc. cit.* prædictos authores. Circa hanc materiam quæro utrum privilegium de non appellando, pertineat etiam additiones postea acquisitas? Nego, quia tribui solet, statibus, in quantum tenent certa Imperii feuda. E. absque novâ & speciali Imperatoris concessione, non debet extendi, quippe, cum idem princeps respectu diversorum territoriorum, censeatur alia & alia persona, adeoque privilegium eidem concessum, respectu unius territorii, eo ipso non competat illi respectu alterius *arg. §. 9. Inst. de jur. nat. gent. 5.* Consentit Imperii praxis, nam ita Elector Brandenb. privilegium de non appellando habet respectu Marchiæ ex A. B. non verò respectu Cliviæ Ducatus, à quo totâ die ad Cameram appellatur; Sic etiam Dux Würtemb. cum jam haberet, privilegium de non appellando, respectu sui Ducatus e jusdem anno 1566. ad comitatum Mümpelgart/Harburg & Reichweller/obtinuit extensionem; idem in aliis. E. Sed quid si illæ in privilegio non nominatæ ditiones, postmodum privilegiato Territorio incorporentur? adhuc nego, illarum ratione privilegium de non appellando competere, fundamentum est, quia hoc tale privilegium tendit, in præjudicium tertii & 4. appellationis jure communi competentis citra expressam & specialem Imperatoris concessionem, non obstante incorporatione, quoad bona privilegiato Territorio incorporata, obtinere non debet, per ea, quæ tradit Card. Tusch. *Lit. P. conclus. 729. n. 11. & seqq. & conclus. 735. n. 3. Dd. comm. in l. quoties C. de precib. Imper.* Porro à laico Judice Ecclesiasticum, nisi forsan ex capite denegatæ Justitiæ, specialis subjectio- nis vel consuetudinis, jure Canonico non appellatur *c. 7. extr. hoc tit. nec à de legato, cui universitas causarum est commissa ad delegantem cap. 27. extr. de officio de legati l. 1. ff. quis à quo appell. secus se res habet, quando specialis aliqua causa delegata esset, tunc enim appellatio ad delegantem locum inveniret per l. 32. §. 3. C. de appell. quam pro inde cum d. l. 1. eatenus conciliare solent*  
Doctores.

30.

31.



*Quæ sint causæ appellationum, & in quibus non procedant?*

32. ERat quartum, in quibus causis locum habeat appellatio, ubi similiter notandum est, in genere omnes causas cenferi habiles, quæ speciatim non eximuntur, est igitur operæ pretium has breviter perspicere; ac primò quidem, etsi jure civili, etiam in causis criminalibus, permiffa sit appellatio, de consuetudine tamen generali Germaniæ hoc non obtinet, quæ consuetudo per R. I. de anno 1530. §. Item als jetzt exliche Zeit re. expressè confirmatur, & in summis dicasteriis observari præcipitur. Secundò non appellatur in causis præcedente juramento decisivis, l. 2. ff. de jurejurand. quod tamen intelligo de juramento litis decisorio, secus est i. de eo, quod judex defert, citra petitionem partis, per l. 31. in fin. ff. d. tit. de jurejurand. fallit secundò, quando quis ob reculationem delati juramenti est condemnatus, tunc enim appellatio locum tenet, per l. 12. §. 2. C. de reb. cred. item cessat appellatio tertio, quando quis ex causâ contumaciæ condemnationem meruit, per l. properandum. §. 4. C. de judic. quod tamen non puto procedere, in eo, qui dolo adversari non comparuit, arg. l. 3. §. 1. ff. de minor.
33. Quartò non procedit appellatio in causis momentaneæ possessionis, l. un. C. si de moment. possess. quænam autem sit momentanea possessio, non ita videtur expeditum; jure civili, quia lites tum temporis multò celerius, quàm nunc decidebantur, videtur possessio sumi in oppositione ad judicium petitorium, facit eò l. fin. §. 4. ff. de appell. recip. Cæterum practici, secuti Ord. Cam. p. 2. tit. 21. §. fin. communiter distinguunt inter possessorium summarissimum, & plenarium; Summarissimum vocant, ubi periculum armorum metuendum est; plenarium verò, quod extra illum casum ordinario jure exerceatur, vid. Roding. l. 1. pand. Cam. tit. 31. §. 4. in not. à possessorio summarissimo non est dubium, quin appellatio nulla procedat, verùm quia plenarium magnum hodie præjudicium affert, etiam ab eo indistinctè permiffa esse statuitur provocatio, quamvis respectu effectus & processuum, quos hodie in Camerâ parere potest, inter plenarium adipiscendæ, recuperandæ aut retinendæ possessionis subsit aliqua differentia, de quâ infra suo loco, interim observetur etiam jure civili à sententiâ super possessorio, præpostero juris ordine



dine latâ, provocationis auxilium patere, ut in *l. 1. C. de appell.* Porro & quintò in causis matrimonialibus appellationes in Camerâ non admittuntur, R. I. *de anno 70. §. Wann auch der Kâysertlichen ꝛc.* Nec sextò in causis decimarum super petitorio, ceu testatur Gailius *1. observ. 38. n. 2.* Nec septimò in debitis fiscalibus, vel publicam necessitatem concernentibus, *l. 4. & fin. C. quorum appell.* Nec octavò ab executione appellare licet, nisi fortè modus excedatur, *l. 5. C. eod.* Tandem nonò in causis moram excludentibus, & ad declinandum jus creditoris in pignus appellare non licet, *l. fin. ff. de appell. recip.* id quod videtur iudicis arbitrio relinqui, quod in dubio & non decisis sequi solemus per *l. 12. ff. de ll.* Hoc loco quæri posset, utrum à sententâ reductionis ad arbitrium boni viri, liceat appellare? Sunt qui negant ex ratione, quod talis processus surrogetur compromisso, adeo, ut appellatio locum habere non videatur. *arg. l. 36. §. 1. ff. de don. int. vir. & ux.* Sed contra quia hæc talis reductio est, simplex magis querela, quàm provocatio, ut suo loco patebit, & ex alio capite appellatio est de genere, permissorû, ideò dico etiam hoc casu valere. *arg. l. 23. in princ. ff. de appell.* tantum etiam de hoc articulo.

## CAP. V.

*De Summa appellabili.*

**P**ergimus ad quintum, quæ nempe ad appellationem summa requiratur. Iure communi hæc de re est expressum, ut summa appellabilis, respectu auditorii principis, debeat esse major decem libris auri, *Nov. 23. c. 3. sumptâ sc. taxatione à condemnatione iudicis, l. 37. C. de appell.* Lege Imperii, nempe ordinatione Camerae, *p. 2. t. 28.* introductum primò est, ne appellationes infra quinquaginta florenos in Camerâ reciperentur, postmodum hæc summa in R. I. *de anno 1570. §. als wir dann auff obang regten ꝛc. ad 150.* & quidem in sorte, ac si annui sint redditus ad sex, deinceps in R. D. *de anno 1600. §. Wiewol nun ꝛc. regulariter ad florenos 300.* Tandem verò in R. I. novissimo *§. Bierrens soll. ꝛc. ad 400.* Imperiales, præcisè quoad sortem & in annuis redditibus ad 16. extensa fuit. Circa hanc materiam quæro 1. utrum summa appellabilis excludat etiam interesse, quod venit jure actionis principaliter? v. g. quando quis agit ad interesse ex vendito, in casu, ubi non est facultas restituendæ rei venditæ, an tunc summa appellabilis consideretur præcisè, respectu pretii, quod fuit tempore contractus? Puto rectè defendi negativam, ratio est, quia hoc tale interesse non se habet

34.

35.

36.



- habet per modum accessionis, cui *in d. §. Viertens solle ic.* Germanica vox *Capital* / opposita videtur, sed debetur, ob augmentum æstimationis rei venditæ, juxta *l. 21. §. 3. ff. de action. empt.* unde in computatione summæ appellabilis, utique considerabitur ut fors, secus est in eo interesse, quod se habet vice accessionis, & in modum usurarum, vulgò que sic vocari assolet. Specialius & secundò quæro? quid sit de fructibus? distinguo, aut veniunt jure actionis, & habentur pro parte rei petitæ, ut in judicio petitionis hæreditatis, juxta *l. 20. §. 3. ff. de pet. hered.* aut sunt vice accessionis, nec debentur, nisi officio judicis & nominatim petiti, ut in judicio rei vindicationis & similibus; in priori specie habendi sunt loco sortis, adeoque computandi in summam appellabilem, posteriore verò nequaquam, adeoque ab illâ excludendi, quo facit *l. 34. ff. de usur.* Tertiò quæro, quid sit in judiciis pœnalibus, veluti in actione *L. Aquilæ*? puto in ineundâ summâ appellationis, sortem regulariter non excludere, sed comprehendere pœnam, ratio eadem est, quia scil. talis pœna pertinet ad objectum actionis principaliter, *arg. §. ex maleficiis instit. de act.* Tandem quæro, utrùm summa appellabilis consideretur respectu sententiæ vel deductionis in iudicium! Fieri enim potest, ut quadringenta petam, & 100. tantum adjudicentur, adversario quoad reliqua absoluto. Respondeo summam appellationis æstimari, respectu gravaminis per sententiam illati, ita *Scutum Camerale de anno 1603. facit l. in offerendis C. de appell. not. ad Roding. libr. 1. Pand. Cam. tit. 20. fol. 270.* Cæterum in locum appellationis, ubi defectus est ex capite summæ, statutum est, concedi debere transmissionem actorum, ad Academiam aliquam, vel collegium juridicum, *R. I. N. §. Doch mit diesem Zusatz / ic.* Specialiter verò, ne quis admodum pauper inde læderetur, quoad illos, quorum substantia 2000. florenorum non exsuperat, summa 300. florenorum remansit, annexâ tamen hâc conditione, ut de eo, vel per judicem loci Camerae constet, vel appellans paratus, si eo nomine juramentum præstare. *ibid. §. Auf daß auch ic.* Circa hanc materiam quæritur, utrùm oblatio juramenti sufficiat ad salvandam appellationem ex capite summæ? Respondeo non sufficere, sed à Camera pro literis informatoriis (vulgò *Bericht schreiben* /) ad magistratum loci scribi debere, idque innuunt constitutionis verba, ibi in *Ermanglung* / ex quibus colligitur, tantum in casu, ubi non sufficiens hâc de re facta est notificatio, à Magistratu loci, admitti debere, quasi in supplementum, prædictum juramentum. Quæro secundò, utrùm re ipsâ sit præstandum? Respondeo hoc pendere



dere ex arbitrio iudicis, si tamen is arbitratus fuerit, realem præstationem omninò esse necessariam, nec posse omitti, ratio est, quia in prædictâ constitutione non dicitur, wann ein Appellant / vermittelst eines leiblichen Eyds erhalten / sed, wann ein Appellant vermittelst leiblichen Eyds erhalten fan / E. &c. Quaro tertio, an apud iudicem ad quem, vel iudicem à quo hoc iuramentum sit præstandum? decido, quod apud iudicem ad quem, fundamentum est, quia ex mente d. const. idem est iudex, qui literas informatorias exigit, & qui parti hoc iuramentum, quasi in supplementum defert, sed ille est iudex ad quem, E. etiam hic. Verùm quid si iudex inferior, privilegium obtineat, respectu iuramenti appellationis? adhuc idem dicendum, puto, est enim hoc iuramentum ab illo distinctissimum, E. talis casus non potest mutare regulam, quæ usque adeò perstat, dum subsit aliqua prægnans, exceptionis & correctionis causa, per l. 32. §. fin. C. de appell.

41.

## CAP. VI.

*De Temporibus appellationis.*

Sextum principale membrum agit de temporibus appellationis, quæ sunt vel interponendæ, vel introducendæ, vel prosequendæ, vel finiendæ appellationis. Tempus interponendæ appellationis jure antiquo fuit in causâ propriâ biduum, in alienâ triduum, leg. 1. §. 6. II. & 12. ff. quand. appell. jure novo indistinctè est decendum, Nov. 23. c. 1. computatur autem hoc decendum, vel à die latæ sententiæ, vel à die notitiæ: à die latæ sententiæ, debet fatale interponendæ observari regulariter, idque patet ex text. d. Nov. 23. nec dubium habet, quando quis in iudicio præsens est condemnatus, sed si absens succubuit, distinguendi sunt duo casus, vel enim à procuratore est defensus, vel non, priore casu fluit decendum appellationis iterum à die latæ sententiæ; posteriore verò à die notitiæ, h. e. quo sententia innotuit, l. 1. §. fin. ff. quand. appell. unde supplicis pro processibus appellationis, hodie de praxi in Camerâ Imperiali, hoc postremo casu inseri solent hæc verba, NULO APUD ACTA EXISTENTE PROCURATORE; cæterùm merito interrogatur, quis sit ille casus, ubi absens à nullo procuratore defensus in specie d. l. 1. condemnatur; Si enim iudex ad sententiam processit præviâ citatione, pars absens, utpote contumax, non habet remedium appellationis, ut patuit suprâ; Quod si omisit citationem, videtur

42.

43.

C

detur



detur processus laborare vitio nullitatis per *l. 47. ff. de re judic.* Respon-  
 deo, subdistinguenti sunt duo casus, vel enim lis inchoata est partibus  
 presentibus vel non; si prius sententia contra absentem lata, quamvis  
 iniqua sit, ipso jure tamen subsistit per *l. fin. C. quom. & quand. judex*, si  
 posterius, tunc demum verum est, hunc talem casum non esse congru-  
 um, *d. l. 1. ff. quand. appelland.* aut saltem non necessarium appellationi,  
 unde ea maximè loquitur de priori specie. Porro quia sæpè in facto  
 44. dubium est, quando quis resciverit latam esse sententiam, appellanti  
 hæc in parte tanquam fundamentum intentionis suæ, incumbit onus  
 probandi, eoque intuitu deferri solet juramentum notitiæ, quod ut-  
 rum satis sit ab appellante offerri, an verò pars ipsa deferre vel aliæ ad-  
 esse debeant circumstantiæ adjuvantes, quibus iudex motus hoc jura-  
 mentum deferat, disceptari potest? Posterius eligo, tum quod ejusmo-  
 di notitia facti sit, eoque ab allegante probari debeat, tum quod ejus-  
 modi ultronea oblatio ad jurandum, pro probatione non sit habenda:  
 45. per *l. 3. in princ. ff. de jur. jurand.* Quaritur præterea utrum tempus de-  
 cendii sit utile, vel continuum? Respondeo esse continuum per *l. 1. C. de fer.*  
*modo judicis in publico adeundi interea patuerit copia l. 1. §. 9. ff. quand. appelland.*  
 dubitatur ulterius, utrum hoc decendii tempus cur-  
 rat de momento in momentum? Affirmo secundum Gail. *l. 1. observat.*  
 130. Vid. quoque Roding. Pand. Cam. 1. tit. 27. n. 8. ubi in notis et-  
 jam non ita vetus extat hac in re præjudicium, facit pro hac sententiâ,  
 quòd in *d. Nov. 23.* à recitatione sententiæ intra spacium decem dierum  
 permittatur appellatio, ut omninò computatio procedere debeat, à  
 46. momento in momentum. Porro de jure civili intra 30. dies peti de-  
 buerunt apostoli hoc est, literæ à Judice inferiore ad judicem superio-  
 rem, quibus contineatur quis, à qua sententia & in quâ causâ appella-  
 verit *l. un. in princ. & §. 1. ff. de lib. dimiss. l. 5. & ibi glossa C. de appell.* Ve-  
 rum videtur *d. l. un. §. 2. obstare l. 6. §. fin. C. de appell.* Nam ibi ad evita-  
 dam desertionem, requiritur ut pars instanter petat apostolos, hæc verò  
 concedi debent ex officio & etiam parte non petente? Respondeo in  
 utroque tamen casu, debet ad impediendum effectum desertoriæ adesse  
 instantia, partis petentis apostolos, sic etiam vigore *R. N. de anno 1654.*  
 §. ob cr auch schon di. Urtheil à parte sub præjudicio desertionis petenda  
 est editio actorum, & eo tamen non obstante iudex inferior, acta ex  
 officio & quidem sub pœnâ gravissimâ 20. marcarum auri ibidem in-  
 fertâ, eadem edere tenetur. Cæterum apostoli de præxi fermè in de-  
 suetudinem abierunt, aliòquin sunt duplicis generis, vel testimoniales  
 vel



vel refutatorii, illi quibus appellationi à Judice inferiori defertur. 2. Hi quibus eadem denegatur, verum in locum apostolorum petitionem edendorum actorum successisse hodie volunt. Quod non puto proprie dici, jam enim tum temporis, quo apostoli in usu fuerunt, etiam obtinuit editio actorum infra 30 simum ut apparet ex l. 24. C. de appell. & quidem sub præjudicio desertionis per text. Nov. 126. c. 3. Verosimilius est, apostolos eò exolevisse, quòd illorum petitio vigore ord. p. tit. 30. in princ. purè arbitrio appellantis, subjecta fuerit, unde contigit, ut apostoli successu temporis, tanquam superflui, minus minusque frequentarentur. Hodie in appellationibus coram Notario interpositis, apostolorum vices sustinere videtur Instrumentum appellationis cujus requisita sunt, 1. respectu Notarii, ut is sit habilis & legitimè creatus, R. I. de anno 1512. §. *erstlich ordnen wir* / secundo respectu materiæ in quâ, ut scribatur in membrana, non in papyro, ibid. §. *item die Notarien sollen* / tertio ex parte formæ, ut principio contineat, invocationem nominis Divini, annum salutis, indictionis, & nomen Imperatoris, dein mensem, horam, locum & tenorem rei gestæ Nov. 47. c. 1. d. R. 1512. §. *und nach dem & §. darumb so gebieten*. Quæritur, utrùm ommissio alicujus ex his vitiet instrumentum? Non sum nescius plurimum esse sententiam, de jure civili non vitari, & solennitates hujusmodi tantum pertinere ad melius esse instrumenti, nec dispositivè præcipi; Verum cum verba d. R. I. de anno 1512. & §. *darumb so gebieten* / manifestè dispositiva sint & harum solennitatum observationē injungant, concludo extra casum contrariæ consuetudinis localis, qui inibi expressè excipitur, unius vel alterius omissione, vitiatum iri instrumentum per l. 5. C. de leg. maximè cum in Camerâ Imperiali, usus hoc idem strictiùs attendat, ut adeò hæc sententia, tantò magis videatur tenenda per l. 37. ff. de leg. Cæterum petitio editionis actorum non tantum de jure civili, prout paulò ante diximus, sed & ex Constitutionibus Imperii, necessaria hodie est, præcipiturque tum alibi tum imprimis etiam in R. N. §. *ob er auch schon die Urtheil*. ubi præterea statuitur, partem appellantem pro edendis actis exsolvere debere taxam, aut saltem intra trigessimam factæ requisitionis, adferre sufficiens documentum unde novi, hoc adeò rigidè in Camerâ observari, ut etiam casu, quo supplicæ pro processibus jam adsunt acta, tamen processus fuerint denegati, sic factum in causa Landsberg contra Hensterman. Cæterum non puto hunc rigorem esse, vel de mente, vel de verbis constitutionis, quod, ut appareat, resolvo illam in 4. casus; 1. est,

C 2

quando

47.

48.



quando supplicans & acta habet, & documentum debite factae requisitionis, qui dubium nullum continet, nam tunc utique decerni debent processus. Secundus quando neutrum habet, qui similiter claret, quippe tunc non erunt decernendi. Tertius est quando documentum requisitionis, habet non acta. Quartus denique casus est, quando actis jam est instructus appellans non autem documento requisitionis de his duobus postremis casibus, dubitari magis poterat utrum processus appellationis, venirent decernendi nec ne? Praedicta Constitutio exigit, das der Appellant die Acta priora vom Unterrichter innerhalb 30. Tagen zu requiriren, und da sie fertig werden / umb die Gebühr außzulösen / oder wenigst solcher seiner requisition beglaubten Schein zu produciren, schuldig sey / itaque & tertio illo casu processus decernendos disponit, ac de super propter sub alternationem tacite inuit, posse dari alium casum, ubi processus debeant decerni, ut tamen non adsit documentum requisitionis, per l. 8. ff. deleg. 2. sed hic casus non potest esse diversus ab hoc nostro, quo scilicet supplicans pro processibus acta jam habet non verò documentum factae intra trigessimam requisitionis. Ratio est, quia ceteri duo priores, quos retulimus, sunt extra dubium positi, de quibus dispositiones juris intelligi non debent, per l. quod Labeo ff. de Carbon. edict. E. etiam casu, quando acta habet supplicans non verò documentum factae intra trigessimam requisitionis actorum, decerni debebunt processus, & ratio esse potest, quia ex quo acta tamen tempestive edita sunt, pro ejusmodi supplicante, praesumptio juris, oritur quòd acta debite requisiverit ex praesenti enim praesumitur praeteritum per l. 34. C. de adulter. vid. Cardin. Tuschus lit. P. Conclus. 25. n. 1. &c. Sed quid si deinde appareat, non esse requisita acta intra trigessimam Respondeo, debere subsequi desertionem, idque clare asserit d. §. ob er auch schon die Urtheit. Quid si documentum adsit, non acta in primo termino? Resp. Idem praesudicium desertionis imminet R. N. §. in Appellations-sachen. Quid si per judicem stet, quominus acta quis accipiat vel documentum requisitionis intra 30. dies & de hinc labantur fatalia introducenda, an debeant decerni processus? Puto non decernendos per Nov. 126. c. 3. videtur tamen hoc in casu, locum habere restitutio in integrum, adversus lapsum fatalium, brevi manu, ut processus appellationis sic decernendi sint, praesertim si regressus contra judicem futurus esset inanis arg. l. un. §. 1. ff. d. li. ell. d. miss. & d. Nov. 126. c. 3. Quæritur praeterea utrum ex mente R. N. & d. §. ob er auch schon die Urtheit / etiam ex solutio taxae pro edendis

49.



dis actis expeditis intra 30. dies necessaria sit? Nego quia ante d. R. non fuit intra 30. dies necessaria ut constat, E. nec nunc, ut pote cum expresse hoc ipsum non sit introductum. Porro quando iudex inferior terminum præfixit editioni actorum, in eo ab appellante reiteranda est petitio sub præiudicio desertionis *c. ad aures extr. de appell. Clem. quamvis rigor. eod. R. I. de anno 54. §. dabey gleichwol.* Cæterum partibus præsentibus vel procuratoribus earum inrotulari debent acta, & clausa consignataque, ad summum tribunal transmitti, imminente in contrarium eventum tùm iudici inferiori tum parti, poenâ arbitrariâ. *ib. §. so dann sollen die acta.* tantùm de tempore appellationis interponendæ cum coherentibus. Quòd si igitur ritè hæc observata fuerint, appellatio est debito tempore in iudicium superius introducenda; Tempus hoc jure civili partim secundum iudices, à quibus appellatum est, partim secundum provincias prioris instantiæ, varium constituitur, ita quidem ut non liceret singulis diebus, sed fatalibus tantum appellationem introducere, ceu videre est *ex l. 2. & fin. C. de temp. & repar. appell.* In ord. *Cam. p. 2. tit. 30.* statuti sunt 6. menses, quibus causa appellationis in Cameram debeat introduci, concedendâ tamen ex arbitrio iudicis, pro locorum distantia prorogatione. In *R. L. N. §. so dann soll sich appellant,* hoc tempus coarctatum est, statutumque ad summum intra quadrimestre à die interpositæ appellationis etiam insinuationem processuum, parti adversæ faciendam, unde colligo tempus introducendæ appellationis in iudicium supremum, hodie non habere terminum positivum, sed negativum, h. e. talem in quo jam nimis serum sit appellationem velle introducere; nam intra prædictum quadrimestre, non certus dies positus est appellationi introducendæ, sed hoc tantum observandum, ut non ad finem ejus introductio differatur, ne quis insinuationis tempora sibi intercludat; Cæterum quando de hinc, ob temporis angustiam, aliquis metus subest, solent petere prorogationem termini, ceu quotidiana docet praxis. Porro à factâ insinuatione intra bimestre processus appellationis, sunt judicialiter reproducendi, *d. §. so dann soll sich appellant,* quod quidem tempus juxta ord. *p. 3. tit. 31.* in causis appellationum est 1. terminus, quo appellans desuper formalia justificare, acta, instrumentum appellationis, documentum requisitionis, nec non procuratorium adjurandum, tùm principalis tùm advocati nomine speciale, uti & generale exhibetur, sub præiudicio desertionis inferre tenetur, *d. §. in Appellations. sachen / & §. zumahlen aber jederzeit /* Estque sub eodem metu re ipsa juramentum, utriusque

50.

51.

52.



nomine praestandum §. eod. nisi privilegium iudicii inferioris, aliud requirat. ibid. §. auch zum sechsten. Quod si ab interlocutoriâ simplici appellatum sit, hoc eodem termino necessaria est, repetitio schedæ vel instrumenti appellationis loco libelli. d. §. in Appellationis. Sachten. Quod ad reum attinet, debet ille hoc in termino quascunque exceptiones suas cum eventuali responsione, in puncto principali proponere, aut ad acta priora submittere R. I. N. §. wann auch bey außbringung. Porro quod tempus exercendæ & finiendæ appellationis concernit, illud jure communi est annus & ex causa biennium per l. fin. §. illud & auth. ei qui appellat, ubi Baldus C. de tempor. & repar. appellat. post quod tempus, non licebat queri tametsi per iudicem stetit, quò minus intra præscriptum terminum lis appellationis finem sortiretur, sed debuit eo currente auxilium principis ob tarditatem iudicis causam non decidens, implorari d. §. illud, sunt tamen circa hæc tres exceptiones notandæ, prima est, quando per iudicem Appellationis stat, non autem per partes, quo minus ultimo fatali, causa nondû introducta suscipiatur, nam tunc nullum hinc partibus creatur damnum N. 119. c. 4. auth. si appellatione d. tit. Secundo Quando princeps est in morâ, non currunt tempora appellationis, donec ab ipso iudex constituatur, Nov. 93. c. 1. auth. sed & lis, ubi Baldus & Salyc. C. d. tit. Tertio Quando pendente appellatione, compromittitur, tempora interim non currunt, d. Nov. & d. c. auth. si tamen in medio, ubi doctores, C. eod. juxta ord. Cam. p. 3. tit. 42. & 44. appellante non exercente appellationem in terminis debitis, licitum est petere pro clama, quo decreto, & lapsis 6. iudicis vel absolutio à citatione ( id quod est melius ) vel ex privilegio appellationibus jure concessio ut in causâ definitivè pronuncietur impetrari potest. Tantùm de Sexto.

## CAP. VII.

*De effectibus appellationis.*

54. SEquitur ut de Effectibus appellationis aliquid dicamus, quorum primus est, sententiam prioris instantiæ regulariter, suspendere per l. 32. §. 4. C. de appell. Secundus quod ad instantiam partis appellantis à Iudice ad quem decerni debeant processus; Hi verò juxta constitutiones Imperii & stylum, duplicis sunt generis, vel plenarii vel non plenarii; plenarii sunt, qui constant, non citatione modo & compulsorialibus



bus, sed & inhibitione; Non plenarii, in quibus aliquid illorum deficit; Caterum compulsoriales hoc loco, sunt mandatum sine clausulâ iudicis ad quem, quo editionem actorum Judici inferiori sub annexâ pœnâ præcipit, Inhibitio autem, mandatum sine clausulâ per quod Judici Inferiori & parti victrici, nequid lite pendente innovent, sub certâ pœnâ inungitur; Quod si non parcatur ejusmodi præcepto in puncto editionis actorum novæ peti possunt compulsoriales, idque vel sub iteratâ pœnâ & tunc dicuntur ulteriores, vel sub pœnâ Banni, quo casu vocantur arctiores, utrobique autem, agitur annexâ citatione ad videndum se incidisse in pœnam simplicium; Verùm si quid contra inhibitionem; committatur, mandata attentatorum revocatoria sine clausulâ impetrari possunt, *Reichs Abschied de anno 1654. §. und wann gegen die außgelassene / &* quoad futuras attentationes etiam arctior inhibitio sub pœnâ Banni, quæ similiter annexam habet citationem ad videndum se incidisse in pœnam simplicis emanare potest, vid. *Roding. l. 3. pand. Cam. tit. 11. num. 6. 7. & 8. & t. 13. n. 3. & seq.* Porro processus appellationis plenarii, regulariter decernendi veniunt, excipiuntur tamen aliquot casus in quibus inhibitio locum non habet, veluti 1. in possessorio retinendæ, 2. quando de jurisdictione non satis constat, 3. quando appellatio jure communi est prohibita, ita *R. I. de anno 1594. §. die inhibitiones*, quanquam hic postremus casus quippe cum loquamur de effectu appellationis subsistentis, huc non propriè quadret. 4. Quando appellatum est ab interlocutoriâ simplici, extra evidens moræ periculum, vel damnum irreparabile, d. *R. §. wann aber von gemeiner / s.* non debet decerni inhibitio in appellacionibus extra judicialibus ante justificatam appellacionem *d. R. & §. wann aber von gemeiner / &* hi quidem casus sunt juris expressi, præter quos, tum alios tum etiam limitationes quasdam eorundem reperire licet apud *Gailium Mynsing. &* alios Camerales quæ citantur apud *Roding. ubi supra n. 14.* Caterum quanquam vigore *R. N. §. in appellations Sachen* appellatio quoad formalia in 1. termino est justificanda, tamen hoc loco, justificatio appellacionis videtur maximè respicere ea requisita, quæ concernunt punctum devolutionis seu desertionis & supplicam pro processibus antecedunt, veluti sunt e. g. decendium interponendæ, editio actorum & c. alioquin scil. non possent dari termini habiles, dispositionis dum ea requirit, ut mediâ illatione instrumenti appellacionis & documenti requisitionis formalia in primo termino doceantur, ergo justificatio appellacionis, hoc in loco importat id quod diximus, per *l. 19. ff. de leg.* unde quæro r.

utrum

55.

56.

57.



utrū insinuatio intra quadrimestre, sub præjudicio desertionis in primo termino, certificari debeat; ratio dubitandi, quia est de formalibus processus appellationis, ut patuit ante; contra tamen statuo, quia *d. §. in Appellationis, Sachen* / demum casu, quo in primo termino, medio instrumento appellationis & documento requisitionis, certificatio formalium ommissa est, desertionis præjudicium injungit, E. quia versamur in materiâ pœnali extensio ad casum nostrum, tanquam non comprehensum, locum habere nequit, per *l. 42. ff. de pœn.* quæro 2. currentibus fatalibus petiisti prorogationem, deinde sunt insinuati processus, nunquid hoc casu à die collectæ prorogationis, vel factæ insinuationis, terminus reproductionis computetur? Respondeo à die factæ insinuationis computationem fieri debere ratio est, quia prorogatio tantū pertinet ad insinuationem processus, ne scil. lapsō quadrimestri via ad insinuationem præcludatur, E. reproductio, juxta recessum Noviss. fieri debet ab eodem termino cum hic nihil speciale obtineat. *arg. l. 32. §. fin. C. de appell.*

58.

Porro utrū etiam citatio & inhibitiō seorsim à compulsorialibus decerni debeant quæstionis est? Regulariter non est dubium, quin hoc fieri nequeat, quippe cum compulsoriales, statim cum citatione peti oporteat *R. I. N. §. deßgleichen sollen die Procuratores*, sed quid quando judex ultro se offert ad editionem actorum? De praxi scio, citationem & inhibitionem, vel etiam citationem tantū, seorsim à compulsorialibus impetrari solere, cujusmodi præjudicia extant apud *Roding. d. t. de compuls. n. 2. in not.* Ita contigit etiam in causa *Karpfänger contra Dreyer* appellationis, ubi citatio partim edictalis, partim ad domum sine inhibitione & compulsorialibus decreta fuit.

59.

Verū enim verò, non puto hæc talia evenire ad mentem *R. N.* fundamentum est, quia si prædicta dispositio *R. N.* voluisset, ut hoc in casu cessaret præjudicium desertionis, non in junxisset judici inferiori & quidem sub pœnâ gravissimâ viginti marcærum auri, ultroneam actorum editionem, etiam compulsorialibus non expectatis, id quod tamen expressè fecit *§. ob er auch schon die Urtheil* circa fin. Non moveor in contrarium vulgari istâ ratione, nimirum hoc in casu cessare rationem legis, scilicet tardio rem actorum editionem, ut adeò etiam non debeat obtinere e jus dispositio; Nam contra; ad eundem finem tendit requisitio intra 30. dies ad quem collimat petitio cōpulsorialium videlicet ut acta tempestivè edantur; & tamen constat, in casu ommissæ requisitionis, ut ut acta maturè satis edantur, appellationem in Camerâ pronunciatum iri desertam, vel si hæc de re ab initio constet, nec processus decretum iri,



iri, etiam de praxi. Ergò debet idem quoque obtinere in omisâ illâ  
 simultaneâ petitione compulsorialium, præ primis cum facile contin-  
 gat, ut etiam ultroneus ejusmodi judex voluntatem mutet, & ita fraus  
 fiat constitutioni, *contra l. 5. C. de ll.* Præterea tertius Effectus appella-  
 tionis est, quod etiam citra omnem inhibitionem pendente eâ nihil de-  
 beat innovari. *l. un. ff. appell. pendent.* Unde mirari subit, ad quidnam  
 constitutiones Imperii hac in parte introduxerint inhibitionem? Re-  
 sponso est facilis scilicet ad refrenandos illorum conatus, qui penden-  
 te appellatione, contra jus quidem, sed impunè hæctenus innovaturi  
 quippiam fuerant; Cæterùm quia sic futuri tantùm ausus cohibeban-  
 tur, introductum est, mandatum de revocandis attentatis sine clausulâ,  
 quo facta jam illicitè innovatio, eadem severitate cassari præcipitur.  
 Porrò quando attentata contra emanatam inhibitionem notoriè sunt  
 commissa, disponit R. N. etiam extra judicialiter, ejusmodi revocato-  
 rium mandatum decernendum esse, & excluso processu executionem  
 suscipiendâ, *§. und wann gegen die außgelassene.* Verùm quia plerumq;  
 non constat, quo statu res tum fuerit, cum inhiberetur, adeoque præ-  
 via facti cognitio requiritur, si patere debeat, quidnam contra inhibi-  
 tionem attentatum sit, hinc fit quod hodiè in Camera pro tali mandato  
 extra judicialiter supplicantes, plerunque ad judicialem petitionem  
 remittantur, sic factum in causâ *Rönigsmarek contra Halberstädtische  
 Landsständ* / & sæpè numero fieri assolet. Quartus effectus appella-  
 tionis est, beneficium non deducta de ducam non probata probabo *l. 5. §.  
 1. & 2. C. de appell. ordin. p. 3. tit. 33. §. im fall aber Deput. Abschied de an-  
 no 1600. §. Es sey in dem quod ipsum recess. Imp. de anno 1654.* ita de-  
 mum recipit, ut pars, quæ hoc beneficio uti vult, juramentum eo  
 tenore præstet, quod noviter deducendorum in primâ instantiâ vel  
 nescias fuerit, vel copiam proponendi non habuerit, aut ad rem nihil  
 factura putaverit, *§. wie ebenmäßsig.* Quintus effectus appellationis est,  
 quod in communi causâ parta victoria, profit etiam non provocanti  
 per *l. 1. & 2. C. si un. ex plur.* Denique 6. Effectus appellationis est,  
 quod secundum posteriorem non priorem sententiam, executio sit fa-  
 cienda, quo citari solet *l. 1. §. ult. ff. ad Turpil.* & etiam *l. 6. §. 1. ff. de his  
 qui not. in fam.* nisi forsân parte appellationem non prosequente deser-  
 toria subsequatur, tunc enim prior sententia executioni mandabitur,  
 perinde ac si provocatum non esset, per *l. fin. §. illud. C. de temp. & repar.  
 appell.* unde colligo multò fortius ex sententiâ prioris instantiæ execu-  
 tionem suscipiendam, quando non devolutoria subsequitur, tunc enim

D

per

27.

60.

61.

62.

63.



46. per sententiam constat Effectu seu validè non esse provocatum. Cæterùm prædicti Effectus appellationis, tunc demùm re ipsâ obtinent, & appellanti pro sunt, cum appellatio & devoluta est, & ex post facto non deserta; differunt autem hæc duo, quod de voluntio spectet substantialia appellationis, significetq; illam ex omni capite, veluti quoad summam, tempus item appellationis & similia debitè esse interpositam, eoque jurisdictionem judicis superioris verè fundatam esse; non desertio verò importat, illam, omissione eorum, quæ appellationem interpositam sequuntur, veluti neglectione editionis actorum intra trigessimum aut fatalium introducendæ, expressè vel tacitè non esse renunciatam: quòd si quid horum contingat, non devolutoria, vel desertoria sententia, quâ causa, condemnato appellante in expensas, ad priorem judicem remittitur, eique antea in principali lata sententiæ executio iungitur, de hinc oriri assolet, prout & praxi Camerali quotidie constat; obstare videtur *l. 6. in princ. circa fin. C. de appell.* ubi remissio causæ appellationis ad judicem prioris instantiæ inhibetur. Respondeo remissionem ejusmodi posse fieri dupliciter vel ad novam causæ cognitionem, vel ad prioris sententiæ executionem *d. l. 6.* inhibet priorem remissionem, non hanc, quæ suffragantibus juribus servatur de praxi. Tantùm de appellatione.

## TIT. II.

## DE QUERELA NULLITATIS.

**P**ROgredimur nunc ad querelam nullitatis, cujustractionem in sequentia capitula dispescimus, visuri i. definitionem ejus in genere, deinde quotuplex sit, seu ex quibus capitibus oriatur, 3. quis in hoc remedio existat judex competens, & quinam illo uti possint. 4. Quæ sit summa querelæ nullitatis. 5. Quæ tempora. 6. Denique qui Effectus; His præmissis ad rem ipsam accedimus.

Querela nullitatis, pro ratione materiæ substratæ, tùm actibus extra judicialibus, veluti testamentis & contractibus &c. competit *l. 9. l. 12. C. de test. l. 3. ff. pro soc.* tùm etiam his, quæ fiunt in judicio. Hoc loco autem de eâ agimus, in quantum est auxilium juris adversus sententiam, quo quidem sensu rectè definitur, quod sit juris remedium, quo sententiam tanquam ipso jure non subsistentem, intra legitimum tempus coram competente judice, ne nocere possit læsis, nullam declarari



rari petimus. In hac definitione hi termini, Juris remedium, habent se in modum generis, competuntque etiam appellationi, Revisioni & ceteris; per hoc quod adjicitur, **TANQUAM IPSO JURE NON SUBSISTENTEM**, distinguitur querela nullitatis, à reliquis sententiam arietantibus remediis, illis enim hoc ipsum non competit, nisi per accidens & in quantum cum hâc cumulantur, naturæve ejus aliquid sapiunt. Porro adjoci **INTRA LEGITIMUM TEMPUS**, etsi enim inspectis principiis juris civilis expressè non præscriptum sit certum aliquod tempus, quo proponenda sit querela nullitatis principaliter intentata, sed tantum modo dicatur ex integro cognosci oportere *l. 1. C. de sent. ex peric. recit. 6. C. quando provoc. non est nec. &* alibi, tamen ex usu fori secus est, quinimò, si quis secundum principia juris civilis accuratè loqui velit, verosimilius videtur ob jus perpetuatae actionis, quod per litis contestationem acquisitum, facto judicis nulliter procedentis, vel adversarii, non est auferendum invito, *arg. l. 11. ff. de 2. l. junctâ l. fin. C. de prescript. 30. vel 40. annorum*, ad exercendam actionem, intra 40. annos à novissimâ cognitione computandos, noviter convolare, aut exceptiones ante competentes à parte rei iterum opponere, cuique licitum esse; modò tamen nullitas in puncto litis contestationis, vel his, quæ ad illam præ requiruntur, commissa non sit, quo casu dicerem, tantum temporis ad exercendum jus suum jure civili tribui, quantum nullâ lite motâ superesset. *arg. l. 5. C. de ll. Ceterû Dd. rati partem Læsam*, ex sententiâ nulliter pronunciatâ ad illam impugnandam jus acquirere, quòd jus in modum actionis possit proponi, introduxerunt, juxta Regulam, *l. 3. C. de prescript. 30. vel 40. annorum*, querelam nullitatis intra 30. annos debere proponi, alioquin tanti temporis de cusu sententiam, utut nulliter latam, quasi amisso jure agendi, tacitè convalidari. vid. *Zaf. in l. cum que reb. n. 11. ff. de re judic. Salicet. in l. si Praeses n. 6. in fin. C. quom. & quand. jud.* Et hanc sententiam secuta est praxis usque ad R. I. de anno 1654. quo proponendæ querelæ nullitatis, ad instar appellationum regulariter præstitutum, est decendum, de quâ re infra. Dixi, **CORAM COMPETENTE JUDICE**, quia judex in instantiâ nullitatis, non necessariò est superior, sed potest recurri ad eundem *l. 6. C. quand. provoc. non est necess.* Addidi prætereà **NE NOCERE POSSIT LÆSIS** quia idem hic finis, ad quem appellatio collimat, etiam querelæ nullitatis est, æquè enim per sententiam nullam pars victa gravatur atq; per injustam, *Bald. in l. scire oportet §. fin. & l. qui testam. ff. de excus. tur.* quem præter plures alios citat & sequitur *Seb. Vant. tract. de nullit.*

2.

3.

4.



*rubr. coram quo possit &c. n. 5.* denique subsequitur in præmissâ definitione, NULLAM DECLARARI PETIMUS, quo ipso secernitur hoc remedium à cæteris, quibus declaratio nullitatis aut planè non, aut saltem non essentialiter competit, porrò in ejusmodi processu nullitas non constituitur per sententiam, sed tantùm declaratur; præsupponit enim hæc querela actum ipso jure, & ante judicis decisionem improbatum. Cæterùm cum multa supersint, quorum consideratio huc spectat, descendendum commodè erit ad singula.

## CAP. II.

*Quotuplex sit, vel ex quibus oriatur querela nullitatis.*

5. **N**ullitas igitur oritur, vel ex defectu jurisdictionis, vel ex personis judicii, vel ex materiâ, vel ex formâ processus. Quod primam concernit, ea nihil aliud est, quàm fori incompetencia, unde sententia ab incompetente giudice lata, non transit in rem judicatam, sed est ipso jure nulla, *tot. tit. C. si à non competent. iudic.* Verùm ex quibus causis, forum reddatur competens seu ut hodiè de praxi loquuntur Jurisdictio Judicis fundetur prolixiorum exigit tractatum quàm ut pro ratione instituti, quoad specialissima quæ hic occurrunt, discuti possit. Bre-
6. viter dicimus de jure communi aliquem sortiri forum, vel ratione domicilii, per *l. 19. §. fin. l. 50. §. penult. ff. de iudic.* vel ratione contractus, *d. l. 19. §. penult. & l. 20. ff. eod. excipe, nisi cum advena, qui ne pergulam quidem ibi habeat, vel tabernulam sed statim inde discedere paret, contractum sit, d. l. 19. §. 2. vel nisi alibi, solutionem factum iri convenit, tunc enim per quandam interpretationem juris, contractus veluti in loco destinatae solutionis initus habetur, eoque ibi est forum competens per *leg. 21. ff. de act. & oblig. l. 3. ff. de reb. auctor. iud. poss. vel tertio ratione quasi contractus d. l. 19. §. 1. & leg. 36. §. 1. ff. de iudic.* Vel quarto ratione inceptae solutionis, ut in *d. l. 50. §. fin. eod.* Vel quinto ratione suscepti iudicii *l. 52. eod. l. pen. C. de except.* Verùm dubitatur, quemadmodum, & in quibus casibus, dispositio prædicti *tit. C. si à non compet.* obtinere debeat, si verum sit, per litis contestationem tacitè prorogari jurisdictionem judicis, puto hanc rem conciliandam esse fore distinctionis, vel enim iudex de ejusmodi causis in se spectatis judicare potest, vel non priore casu intelligo *d. t. C. si à non**



si à nen compet. Posteriore verò d. l. 52. & d. l. pen. Vel sexto respectu mutui consensus in iudicem incompetentem l. 1. ff. de iudic. qui tamen consensus, debet esse non erroneus, sed ex præcedente scientiâ fluxisse l. 2. in princ. ff. eod. de hinc in causâ Hasfeld contra Heyesche Wittib / ex capite prorogatæ jurisdictionis supplicanti, processus mandati denegabatur, non obstante, quod Rea se in Camerâ utpote foro competenti, (competens autem non erat propter Iudices primæ instantiæ) actori responsuram, expresse scripsisset. Vel 7. sortitur quis forum competens ratione rei sitæ per l. 38. in fin. ff. de iudic. l. fin. C. ubi in rem act. quo spectant tituli C. ubi fid. commiss. & ubi de hered. Vel 8. ratione commissæ violentiæ, juxta l. un. C. ubi de poss. Vel 9. ratione criminis l. 1. & auth. quâ in provincia C. de crim. adeò ut ne fori quidem privilegium obstet d. auth. quâ in provinc. Vel 10. ratione originis, idque quoad munerâ, l. 29. ff. de mun. l. 6. C. de incol. Vel 11. ratione intentatæ actionis ad Effectum reconveniendi l. 2. §. sed & si agant ff. de iudic. Nov. 96. c. 2. nisi injuriam sibi illatam vel damnum quis prosequatur, tunc enim reconventio cessat, d. l. 2. & §. sed & si agant, vel 12. ratione causæ, sic causæ spirituales coram iudice Ecclesiastico, sunt peragendæ c. 2. extr. qui fil. sint legit. fallit tamen hoc ipsum de consuetudine in possessorio, quod etiam in re spirituali coram iudice seculari tactari potest vid. Covar. pract. qq. c. 35. Fachin. l. 8. controv. cap. 15. Vel 13. ratione privilegii, fundata est jurisdictio iudicis, exempla extant passim veluti in illustribus, qui coram principe l. fin. C. ubi senat vel clariss. Studiosis, qui coram Reçtore suo Magnifico conveniri debent per auth. habita, C. ne fil. pro patr. sic milites apud magistrum militiæ tit. C. in quib. caus. mil. uxor in foro mariti, arg. l. pen. ff. de iurisd. Clerici coram iudice ecclesiastico competenter actionem sustinent, auth. statuimus C. de Episc. & cler. idque adeò certum est jure canonico, ut sententia à iudice laico dicta, ne quidem in debitis liquidis adversus clericum subsistat cap. 2. de for. comp. in 6. quanquam hoc ipsum moribus nostris non ita obtinere appareat, dum scilicet Clerici in causis secularibus, de consuetudine etiam coram laico convenire possunt. Deniq; ac 14. in causis feudalibus, iudex competens regulariter est vel dominus feudi, vel pater curiæ; Dominus feudi, quando lis vertitur inter duos vasallos; pater verò curiæ, quando inter dominum & vasallum controversia feudalis agitur, 2. F. 55. §. penul. excipe 1. casum, ubi lis est inter vasallos, qui feudum habent Regalis dignitatis, tunc enim cognoscit Imperator 1. F. 18. quod ipsū præcisè respectu ejusmodi feudorum Regalium, veluti, Ducatum, Comitatum &c. etiam hodie in Im-



perio valet, & est de reservatis Principis, ut patet ex Ord. Cam. p. 2. tit. 7. Excipe 2. casum, ubi ad dominū causa controversa quadantē pertinet, tunc enim, quia nemo potest esse iudex in propriā causā, cognitio spectat ad ordinarium, 2. F. 15. 2. F. 46. idq; indistinctē & in tantum verum puto, ut per d. text. id ipsum etiam procedat, quando non satis constat, utramque partem esse vasallum ejus Domini. Restringe tamen exceptionem hanc posteriorem, ut Dominus unā cum curiā, vel curia solum ex arbitrio, partes citare possint in ejusmodi casu, non verò eo teneantur ad partis instantiam, d. t. 15. & 46. ratio posita esse videtur in honore, quem quilibet, qui vasallus audire cupit, domino & curiæ ejus debet; accedit quod quando dominus unā cum suā curiā citationem emittit, non possit idem simpliciter iudex censerī, adeoque taliter citatus, meritō comparere tenebitur. Porro de jure constitutionum Imperii competentia fori oritur, (1.) coram Austregis, hoc est iudicibus primæ instantiæ, iisque vel legalibus, qui vigore Ord. Cam. regulariter competunt, casibus nimirum, ubi Principes, Comites, Barones & immediati Imperii nobiles ex utraque parte litigant, aut saltem reus Princeps est, etsi actor existat mediatus Ord. Cam. p. 2. r. 28. §. 4. & 5. vel pactatis, h. e. vor gewillkührten Austragen; cujusmodi iudices primæ instantiæ in Republicā Romano-Germanicā, plures illustres familiæ habent; mentio illorum fit in Ord. Cam. p. 2. tit. 2. in pr. vel denique speciali privilegio concessis qualibus Austregarum iudicibus, multæ urbes Imperiales gaudent, nominatim Argentina, Dünckelspitzel, Eslinga, Hala Suevorum, Memminga, Noriberga, Ratisbona, Reutlinga, Svinfurtum, Ulma, Wormatia, &c. de quibus fusissimè videri potest Knipsch. tract. de civit. Imper. p. 2. ferè per tot. Secundò fundatur Jurisdictio, jure constitutionum Imperii, tum ratione personarum, quatenus nimirum subjiciuntur Imperio immediatè, præprimis quod ad rem attinet, regulariter requiritur ejus immedietas, tum ratione causarum, seu per viam simplicis querelæ, videlicet, fractæ pacis, litigiosæ possessionis causarum Fiscalium, pignorationis, arresti, mandati, relaxationis juramenti ad effectum agendi, citationis ex L. diffamari, denegatæ vel protractæ justitiæ & violati privilegii Cæsarei, de quarum omnium requisitis, ne nimis diffundamur, Ord. Cam. & varios R. I. consulere licet; seu per viam provocationis, id quod superius circa materiam appellationis executi fuimus, in Camerā vel Aulā Cæsareā proponi ac institui velint. Quod si igitur ex aliquo eorum capitum, quæ recensuimus, fori competentia nulla sit, & iudex nihilò secius sententiam

11.

12.



tiam ferat, ea fertur nulliter, & ipso jure non subsistit, & hic defectus omnium est maximus, quod se teneat ex parte jurisdictionis, quæ omnino basis & fundamentum est, cujusvis iudicii. Cæterum alia nullitas oriri potest ex inhabilitate personarum iudicii, & (1.) quidem personæ iudicis, cum nimirum vel lege, vel naturâ, vel consuetudine, impeditur esse iudex; Lege, ut si senatu motus sit, contra l. 12. §. 2. ff. de iudic. naturâ, ut si sit surdus, mutus, perpetuò furiosus, aut impubes existat, d. l. 12. & d. §. 2. causa ibidem ponitur in defectu iudicii, quod utique in iudice exigitur; Moribus, veluti fœminæ & antiquitatis servilis conditionis hominis, d. §. 2. idem est in iudice minore octodecim annis, hic enim quod per ætatem nondum præsumatur habere usum rationis, iudex esse nequit, per l. 57. ff. de re iudic. imò ob eandem rationem, etiam in minore viginti annis, idem statuitur, l. 41. ff. de recept. arbitr. quam tamen ne d. l. 57. contradicat, intelligo de minore viginti annis simpliciter, & quicumque demùm ille sit, hanc verò speciatim de minore 20. majore 18. annis, cui Princeps magistratum commisit, pro quo adeò major est præsumtio. Porro iudex Camerae constitui debet, vir bonus, prudens, qui ducali, vel ad minimum Comitiva, aut Baronis dignitate fulgeat, Ord. Cam. p. 1. tit. 1. in princ. Quod si itaque alius sententiam profert, quàm qui iudicis officio fungi potest, rursus committitur nullitas, & quidem ex parte personæ iudicis. Accidit præterea, ut interdum defectus se teneat ex parte litigantium, quando nimirum legitimam personam standi in iudicio non habent, ut sunt minores 12. annis, surdi, l. 1. §. 3. ff. de postul. item pupilli, adulti, & omnino illæ personæ, quæ sub tutelâ vel curâ sunt, tot. tit. C. qui legit. person. stand. uxor sine consensu mariti agens, arg. l. 18. §. 1. ff. de iudic. alioquin fœminæ, cum suo nomine agunt, non arcentur à postulationibus, d. l. 1. §. 6. ff. de postul. Filii familias similiter sine consensu parentis agere non possunt, nisi super peculio Castrensi, vel nisi pater absens, actione interim tempore periturâ, aut quæstio sit super injuriis vel actionibus in factum, l. 8. ff. de procur. l. 3. C. de pecul. castrensi. l. 9. ff. de oblig. & action. de super denegatur agendi facultas, excommunicatis, Hæreticis &c. c. 1. extr. de except. l. 17. ff. de pæn. quod dictum de adultis non procedit, quoad possessorium momentaneum, in quo etiam non interveniente curatore agere possunt, l. 1. C. d. t. qui legit. pers. stand. idem est in filiis familiâs post expletum annum 25. quia de consuetudine, patris consensu, ad experiendum in iudicio non indigent, Porro quando quis alterius nomine litigat, requiritur ne id ei legibus interdicator, omnes enim

13.

14.

15.

16.

17.



- enim pro aliis intervenire possunt, qui specialiter non prohibentur; repelluntur autem legibus, ab ejusmodi functione, 1. potentiores, l. 1. C. ne lic. potent. fœminæ l. 18. C. de Procuratoribus, milites l. 7. & 9. C. eod. rei criminis ante purgatam innocentiam non possunt esse defensores, l. 6. C. eod. nec litium redemptores, pcuracionem suscipere, l. 15. C. eod. ut nec furiosi l. 2. ff. eod. nec muti & surdi ad agendum Procuratores constitui possunt, l. 73. ff. eod. Cæterum minores, dummodo non sint infra 17. annos, hoc officio rectè defunguntur c. 5. de Procur. in 6. arg. § justæ instit. quib. ex causis manum. l. 1. §. 3. ff. de postul. non adversatur, quod filius qui legitimam ætatem non complevit, per judicem à Procuratoris officio repelli possit l. 12. C. de Procur. nam id fit intuitu restitutionis in integrum, quâ is in specie d. l. 12. uti potuisset, patre nihilò secius ob defectum mandati ex gestis ejusmodi judicii non obligato.
18. Porrò non tantum ex personâ procuratoris habilitas requiritur, ad hoc ut alium in judicio, agendo vel defendendo repræsentet, sed debet etiam sufficienti mandato instructus esse l. 24. C. de procur. Exceptis videlicet certis personis, quibus ejusmodi partes etiam sine mandato agere licet, veluti liberis, parentibus, fratribus, affinibus, l. 35. in princ. ff. eodem, ut & marito in rebus uxoris l. 21. C. eod. Quinimò exceptio falsi procuratoris regulariter, adeo est efficax, ut & post sententiam admittatur annuletque retrò acta, per d. l. 24. C. hoc tit. Verum an pars victrix, à falso procuratore gesta etiam post sententiam rata habere possit, disceptari solet? Puto non posse ratio est, quia id quod taliter gestum est, subsequenti sententiâ ne nomen quidem judicii meretur, sed ratihabitio Domini per se ipsam utique non potest continere vim totius processus, præsertim cum pars victrix ex ejusmodi sententiâ, casu quo contra se lata fuisset, obligata non existeret, E. nec per ratificationem inde aliquid debet sentire emolumentum per l. non debet & per l. secundum natur. ff. de reg. jur. Pergo ad nullitatem, quæ se tenent ex parte materiæ, in judicio; ea est, quando judex, super quocunque negotio, & juribus in judicium deductis pronunciat contra Legem e. g. quando pronunciat, non teneri aliquem ad restitutionem mutui, in eâdem bonitate in qua id datum fuisset, etsi de facto, & jure partis ex actis eidem satis constiterit, per l. 1. §. 2. ff. qua sent. fin. appell. unde apparet, nullitatem, quæ oritur è materiâ objectivâ Judicii, in universum illam esse, cum non quoad hypothesein sed thesin sententia injura impingit, sive igitur super contractibus, sive super testamentis, vel quocunque alio civili negotio, hoc modo sententia feratur, ex hac
- 19.
- 20.



hâc parte vitio nullitatis laborare processum erit necesse. Restat ut de nullitate, quæ ex formâ Judicii oritur, dicamus, ea contingit, vel in citatione, quando nimirum aut nomina judicis vel partis citandæ, vel ejus ad cujus instantiam citatio emanavit, sive etiam causa, tempus, & locus comparitionis, non satis exprimuntur, tunc enim citatio, ut ex praxi constat, non subsistet, uti nec quando die feriato, vel ad diem feriatum expressè concepta est *c. fin. extr. de fer. ubi Zoef. n. 14. 15. & 16.* aut alioquin non ritam insinuationem habet, tunc enim dubium non est, quin sit nullius momenti, vid. Seb. Vant. *tract. de nullit. rubr. de nullit. ex defect. cit. n. 118. & seq.* Vel ex processu ipso, idque cum aut respectu causarum vel articulorum in cidentium, præposterè judicialis decisio subsequuta est *l. 54. ff. de judic. l. 4. C. de sent. & interl. l. 1. C. de appell.* aut si in partibus ipsius judicii, vitium aliquod commissum sit, veluti si in puncto litis contestationis communicatio libelli, vel 20. dierum in ducia, quas jus civile requirit, neglectæ sint, *auth offeratur C. de lit. contest.* De stylo moderno loco harum induciarum, certus terminus reo ad se instruendum & comparendum, ex arbitrio, pro intercapedine locorum & aliis circumstantiis præfigi solet, speciatim in summo Camerae tribunali simul cum supplicâ pro citatione vel seorsim vel junctim, libellus puncti principalis, in quo factum summariter, non articulatim deductum sit, petitione congruâ subnexâ, inferri & pro numero citandorum per Protonotarium vel Lectorem Camerae incopiis ut loquuntur vidimatis cum citatione communicari debet, præfigendo ad comparitionem termino ad minimum bimestri, *R. I. de anno 1654. §. die sem nächst nun §. wurde hierauff nun* / item si in puncto probationum, v.g. testium depositio, facta sit partibus non citatis. *Nov. 90. c. fin.* vel fortassis testiâ productio quarta aut hodiè in Camera tertiam, non præstito per producentem juramento, quod neque subtraxerit ant percunctatus sit testationes ipse aut alius ejus nomine, quodque non callidè & dolosè, sed quia ante testimoniis uti non potuerit quartam vel hodie tertiam, testium productionem perat *d. N. 90. c. 4. D. R. de anno 1654. §. zu welchem End* / item si secunda testium productio, sine causæ cognitione permittatur, *d. R. §. eod.* Sic, præstatio juramenti, calumniæ, parte petente est substantiale requisitum judicii, *c. 1. juram. calum. in 6.* quod hodie in Camera, non tantum quacunque judicii parte, sed & ex officio, & citra petitionem adversarii, tum à principali, tum ab Advocato vel procuratore ( excipiuntur statuum Consilarii Jurati, quoad causas Dominorum ) eo tenore præstari debet, *daß sie ein gerechte Sach zu haben/glauben/*

21.

22.

23.

E

ben/



- ben/was sie vorbringen und begehren/nicht außgeföhrt oder böser meinung/noch zu uffschub und verlängerung der Sachen / sondern allein zur Nothturfft thun/die Warheit nicht verhalten / uff des Gegentheils vorbringen / oder erzehlung der Geschichte in allen seinen Umständen ohne gefährte antworten / und so bald sie auß denen Beweißschümmen oder sonst in processu der Sachen finden würden / daß sie eine ungerichte Sach hätten/davon abstehen und sich deren gänzlich entschlagen wollen. d. R. §. über diß verordnen wir. Denique committitur nullitas ex parte ipsius sententiæ, quod ad prononciationem attinet, si non in loco solito majorum & tempore congruo, quod est diurnum non nocturnum proferatur, c. consuluit extra de offic. de leg. l. si ut proponis, C. quom. & quand. jud. vel etiam si non publicè & pro tribunali, sed privatim & secreto loco promulgetur, text. in l. cum sententiam C. de sentent. Idem est de jure communi, si non iudex ipse, & quidem pro tribunali sedens, sed alius sententiam recitaret l. 1. C. de sent. ex peric. recit. id quod tamen consuetudine eatenus immutatum est, ut illa recitatio, ad personam iudicis, præcisè non sit coarctata; Sic in Cam. Imperiali publicationes sententiarum fiunt quidem iudice pro tribunali sedente, non ipso tamen, sed Protonotario legente. Prætereà sententia quæ non exprimit, certam absolutionem vel condemnationem ipso jure nulla est, l. 1. l. 56. ff. de re judic. tot. tit. C. de sent. quæ sin. cert. Sicea quoque quæ jus jurandum in jungit, non addito quid ex recusatione vel præstatione ejus fieri oporteat, l. 11. C. de sent. & interl. item rescissoria prioris, tot. tit. C. sent. rescind. non poss. quæque ex falsis instrumentis, l. 2. C. si ex falsis instr. vel per transactionem subreptione instrumentorum extortam l. 19. C. de transact. vel ex causâ notoriè erroneâ Vant. de nullitatib. rubr. ex defect. process. n. 128. prononciata vel etiam pretio emendicata fuit l. venales C. quand. provoc. noo est necess. Item ea, quæ iudex non terminatâ simul reconventionem pariter clarâ, punctum conventionis decidit, Nov. 96. c. 2. ord. part. 3. tit. 30. ipso jure improbatur, Vid. plenius de hâc materia disserentem Vantium in d. rubr. ex defectu processus. Quod si igitur aut ex parte jurisdictionis, vel personæ iudicis vel litigantium, vel materiæ vel formæ processus, modis hætenus summariter explicatis, defectus aliquis se teneat, committitur nullitas sententiæ, potestque adversus illam, cæteris paribus, remedium hoc querelæ nullitatis, de quo modò agimus, ad declinandum gravamen intentari; ac de causis quidem ex quibus hoc juris beneficium competat, hætenus breviter definitum est.

Cap.



## CAP. III.

*De iudice competente querela nullitatis.*

SEquitur ut de iudice competente querelæ nullitatis dispiciamus; Sicutum est supra, non necessariò superiorem, sed etiam eundem iudicem, qui nulliter pronunciavit, in hoc processu cognoscere posse; unde operæ pretium fuerit, hâc vice inquirere, an perinde sit, utrumvis adiri, an verò certis casibus, hic vel ille, pro reparatione gravaminis, necessariò implorari debeat? Non loquimur autem hoc loco, de nullitatibus extrajudicialibus, in quibus, quia se purè per modum simplicis querelæ habent, competenter cognoscit ordinarius per *l. 1. C. de resc. vendit. l. 8. C. quand. provoc. non est necess.* Sed quæstio concipitur de nullitatibus judicialibus quæque gravamen per sententiam imponunt; Seb. Vant. tract. de nullit. rubr. coram quo null. n. 2. & seq. distinguit (1.) inter nullitatem sententiæ interlocutoriæ & definitivæ; Secundo inter nullitatem seorsim propositam & propositam cum appellatione; nullitatem sententiæ interlocutoriæ, seorsim propositam dicit, coram eodem iudice, qui illam pronunciavit, cumulatam verò cum appellatione, coram iudice appellationis ventilari debere per *l. ubi coeptum ff. de iudic. juncta l. nulli prorsus C. eod. c. exhibita extr. eod. c. significaverunt extr. de except. in nullitate sententiæ definitivæ subdistinguit (1.) inter iudicem ordinarium & delegatum, Secundo inter nullitatem principaliter & incidenter deducendam; Quando iudex delegatus nulliter pronunciavit, processum huiusmodi pertinere asserit ad ordinarium, tanquam superiorem, & ratio esse potest, quia delegatus etiam nulliter sententiam proferendo officium suum finit, E. quando super nullitate processus, querela instituitur, idem ille de hâc re cõpetèter cognoscere nequit per *l. 4. C. quom. & quand. jud.* verùm ab ordinario nulliter pro latâ definitivâ, quæstionem nullitatis incidenter motam ad eundem, principaliter autem deducendam, ex arbitrio instituentis, vel ad eundem, vel ad superiorem deferri per *text. & author. à predicto auct. ibidem num. 8. allegatas.* Verùm enim verò, quia indistinctè, seu interlocutoria sit, seu definitiva, sententia, ab eodem ad eundem appellari nequit, & verò nullitas cum appellatione cumulata, ad eiusdem iudicis decisionem pertinet, per *l. 1. C. de ord. iudic.* hinc puto propositam quæstionem de iudice competente nullitatis, distinctione resolvendam esse, hoc modo: aut*

26.

27.

E 2

iudex



judex qui nulliter pronunciavit, ordinarius est, aut delegatus item querela nullitatis aut principaliter mota fuit aut incidenter; quando judex delegatus cognovit, querela nullitatis contra interlocutoriam principaliter mota, coram eodem, incidenter, coram superiore ventilari debet; contra definitivam verò proposita, tantum pertinet ad judicem superiorem; ratio illius est, quia quilibet judex damnum per interlocutoriam propriè sic dictam illatum, reparare potest in definitivâ *arg. l. 16. C. de judic. l. 36. C. de appell. & ex alio capite appellatio ab interlocutoriâ, adeoque etiam cummulata querela nullitatis, devolvit causam ad superiorem juxta prædicta; ut adeo quando incidenter sive cumulativè cum appellatione, contra interlocutoriam delegati, interposita est querela nullitatis, cognitio spectet ad superiorem, secus si seorsim vel principaliter; Hujus verò causa est, quod judex delegatus sententiam definitivam, etiam nulliter ferendo, jam sit functus officio suo, per *l. si ut proponis*, ubi Bartolus, Jacobus de Butr. & Sal. & ex consequenti superior tunc indistinctè cognoscet de nullitate; sin ordinarius judicavit, querela nullitatis principaliter agitata, aut coram eodem, aut coram superiore proponi potest, per ea quæ tradit Felinus *in cap. per tuas extr. de sent. excommun.* incidenter verò proposita & cum appellatione cummulata indistinctè pertinet ad superiorem per *leg. eos, C. de appell. ex* quibus apparet quod judex delegatus regulariter non sit competens in processu querelæ nullitatis, exceptio est, nisi contra interlocutoriam, & principaliter eadem mota sit, similiter patet quando judex ordinarius nulliter pronunciavit, quòd tunc in querelâ nullitatis principaliter motâ gravato respectu superioris & prioris judicis competat fori electio, secus quando hoc idem remedium intentatum esset incidenter sive cumulativè cum appellatione, quia tunc cognitio nullitatis juxta deducta pertinet indistinctè ad judicem appellationis adeoque ad superiorem. Quæro, an prædicta etiam procedant in delegato, ad universitatem causarum? Puto non procedere, ratio est, quia hic talis, habetur pro ordinario, per *l. 1. ubi doctores ff. quis à quo appell.* quid in delegato à principe? puto non esse exemptum à regulâ judicis delegati, lex enim generaliter loquens, ita etiam intelligenda venit, ut per se*

**notum est, tantum de judice competente in processu nullitatis.**

28.

29.

Cap.



## CAP. IV.

*De Summâ querelâ nullitatis.*

**D**E hinc pergimus ad summam ad hoc remedium requisitam, sicut enim in causis appellationum ex jure & Constitutionibus Imperii certa quædam summa introducta est, infra quam non decernuntur, processus, sic idem quoque contigit, per R. I. *de anno 1570. §. Ebener massen* / in querela nullitatis, & summa statuta fuit 100. Imperialium, vel si annui sint redditus 6. Flor. inde quæritur, 1. utrum hodiè, postquam summa appellabilis ad 400. Imperiales adaueta est, hæc extensio etiam fieri debeat in querela nullitatis? Affirmat ex Denaisio Roding. *l. 1. pand. Cam. tit. 20. n. 17.* concludo tamen non debere fieri prædictam extensionem ratio est, quia summa nullitatis principaliter motæ, in d. R. & §. *Ebener massen* / exæquatur summæ appellabili relativè tantum & prout tunc erat, E. quia non legitur specialiter adaueta vel per R. Deput. *de anno 1600.* vel per R. I. *de anno 1654.* permansit sub dispositione pristina arg. *l. 32. §. fin. C. de appell.* Quæro 2. numquid status gauden- privilegio, de non appellando vel simpliciter, vel in certis causis, vel intra certam summam, sint quoque eodem modo privilegiati, adversus nullitatem principaliter motam? Puto non esse privilegiatos, ratio est, tum quia hoc remedium ab appellatione in se plane diversam naturam habet, tum quia privilegium non debet extendi, ad casum planè diversum, facit Ord. Cam. *p. 2. r. 28. §. item nach dem* / ubi in casu prohibita appellationis, videlicet in causis criminalibus, super nullitate principaliter querelam institui licet, & ex consequenti, querela nullitatis non includitur sub lege disponente aliquid circa appellationem, ad eoque superesse poterit remedium nullitatis, etiam adversus sententiam judicis contra appellationem privilegiati, & tantum quidem de summa nullitatis.

30.

31.

32.

## CAP. V.

*De Temporibus.*

**C**onvertimur ad tempora querelæ nullitatis dictum est superius, quòd per practicam doctorum potuerit proponi intra 30. annos, hodiè verò post R. I. *Novissimum, §. in deme auch nun mehr* requiratur decendium interponendæ, exceptis nullitatibus,

33.

E 3

quæ



- quæ ex substantialibus processus item ex personâ judicis vel partis pro-  
veniunt, in quibus anterior dispositio juris, adhuc subsistere præcipi-  
tur d. R. §. *ben den jenigen nullitâten*. Id quod hoc loco exactius est  
persequendum, unde quæro primò utrum dispositio, d. §. *in dem auch*  
*nunmehr*/valeat etiam de nullitate principaliter motâ, ratio dubitandi  
est, quia in Ord. p. 3. tit. 34. §. *wo aber von Urtheil/* querela nullitatis  
principaliter mota videtur annumerari causis simplicis querelæ, adeo-  
que fatale interponendæ, quod in provocationibus tantum requiritur,  
ad illam non pertinere, præ primis, quia in proximè d. §. d. R. mentio  
fit nullitatis, in quantum sententia, in simul ex capite iniquitatis impu-  
gnatur, ut adeò de querela nullitatis incidenter agitâ sermo esse vi-  
deatur. Nihilominus tamen dicendum est, loqui d. §. *in dem auch*  
*nunmehr*/de nullitate seorsim motâ, probo, quia jam vigore Ordin. d.  
tit. 34. §. *und soll also die nullitât/* querela nullitatis incidenter proposi-  
ta, cum appellatione simultaneum habuit processum. Et per conse-  
quens, quia sæpè d. §. *in dem auch nunmehr*, ut ex verbis ejus & inten-  
tione patet, inducit jus correctorium, fatale interponendæ, non  
poterit restringi ad nullitatem incidenter motam, sed etiam  
non obstante, quod se quadantenus habeat, ad instar simpli-  
cis querelæ, observari debet, in nullitate deducendâ principaliter.
34. Quæro secundò, quæ sit ea nullitas, quæ in d. §. *Ben den jenigen Null-  
litâten* oriri dicitur ex substantialibus processus, & inducere insanabi-  
lem defectum? puto esse illam, cum pars aliqua judicii, v. g. litis con-  
testatio, testium depositio, sententia ipsa, sive etiam præparatorium re-  
quisitum, veluti citatio enormi ac notorio quodam vitio laborat, ita si  
contra absentem nunquam citatum, ageretur, si litis contestatio fieri  
deberet absque induciis, vel præfixione termini, aut communicatione  
libelli actoris, si examen testium reciperetur partibus non citatis, si  
sententia ferretur præpostero juris ordine, aut privatim non publicè,  
his enim & similibus modis, quos in specie judex provocatus pruden-  
ter dignoscet, in partibus & præparatoriis judicii manifesta committit-  
tur nullitas, prout supra quoque est explicatum. Quæro 3. utrum nul-  
litas, quæ se tenet ex defectu jurisdictionis ad effectum observandi fa-  
talis interponendæ comprehendatur sub eâ, quæ est ex personâ judi-  
cis? Ratio dubitandi, videtur enim jurisdictio esse quid coherens ju-  
dici, & non concernere propriè ejus personam, verum puto hanc nul-  
litatem, vel maximè in d. §. *Ben den jenigen Nullitâten* indigitari, ra-  
tio est, quia jurisdictio personam judicis, in quantum est judex, maxi-  
mè



mè constituit, etsi sint alia requisita, quæ habilitatem ad munus iudicis suscipiendum inducunt, & personam iudicis radicaliter & quasi in actu primo constituunt, de quibus adeò etiam superius egimus seorsim, facit, quòd leges de casibus sæpè emergentibus, quales in hypothese etiam, moribus nostris sunt lites circa punctum jurisdictionis & competentia fori, præsertim sint interpretandæ, per *l. 5. & 6. ff. de leg.* Quæro 4. utrùm fatale introducendæ, observandum quoque veniat in querelâ nullitatis? Distinguo, aut querela nullitatis fuit mota incidenter, aut principaliter; Priore casu, quia simultaneo processu, cum appellatione decurri debet, affirmo *arg. Ord. p. 3. d. t. 34. & d. §.* Unde soll also die Nullität; Posteriore verò nego, ratio est, quia nullitas principaliter proposita, habetur ad instar simplicis querelæ, in qua, uti notum, fatale introducendæ non invenit locum, ergò licet regulariter & in casu præsertim, ubi de nullitate dubitari contingeret, querela nullitatis principaliter mota, acceperit quoad fatale interponendæ affinitatem quandam cum causis provocationum, tamen quoad cætera, imprimis cum deficiat expressa juris dispositio correctoria, retinuit naturam simplicis querelæ, adeoque non requirit fatale introducendæ, per *sæpè d. l. 32. §. fin. C. de appell.* Sub eadem quoque distinctione resolvi potest quæstio quoad reliqua appellationis tempora. Actantum quidem de temporibus nullitatis.

## CAP. VI.

*De effectibus querelæ nullitatis.*

Supereft ut de effectibus nullitatis dicamus, hi fermè iidem sunt cum effectibus appellationis. Nam 1. intentatâ querelâ nullitatis, prior sententia in suspenso est, ut constat, dum videlicet pendente hoc processu nescitur, utrum prior sententia valuerit nec ne. 2. pendente nullitate, eo usque innovari nihil deber, ut attentata etiam post sententiam revocari possint, ceu ex Bartolo notat Gailius *l. 1. obs. 127. n. 10.* 3. Beneficium, non deducta deducam, non probata probabo, appellationi jure communi concessum ex paritate rationis, locum etiam sibi vindicat in querela nullitatis. Illud tamen 4. peculiare est, quod per sententiam querelæ nullitatis, prior sententia utpote ipso jure non subsistens propriè non cassetur, sed tantum declaretur nulla, qualis sc. ante & per se fuerat. *tot. tit. ff. que sent. sin. appell. tot. tit. C. quand. provoc. non est necess.* Denique 5. querela nullitatis post lapsum decendii intentata non

37.

38.



non potest parere effectum inhibitionis, idque propter præsumptionem juris, dehinc pro sententiâ natam, secus si ante proposita fuerit, quia tunc talis præsumptio cessat, vid. Gail. *in d. observ.* 127. n. 10.

Ac tantum breviter de querelâ nullitatis dixisse sufficiat.

## TIT. III.

## DE REVISIONE.

1. **T**ertium remedium impugnandi sententiam est revisio, cujus cognitionem in sequentes Articulos concludimus, explicaturi 1. quid sit. 2. quotuplex. 3. coram quo iudice agitari debeat. 4. quibus in causis & in quâ summâ procedat. 5. Quæ requirat tempora. 6. Quos habeat effectus; Quod igitur primum attinet, definitur revisio, apud Bendorum *tract. de revis. conclus.* 1. quod sit remedium extraordinarium, quo in Camerâ læsis, ex quâdam benignitate, per Commissarios Imperatoris, & Statuum Imperii, ad id deputatos, succurritur. Verùm hæc definitio duplici defectu laborare videtur, 1. quod revisionem venditet pro remedio extraordinario, idque exemplo restitutionis in integrum, dum in casum cessantis appellationis sit inducta; Nam contra, & si hoc postremum non negem, longè tamen alia à Revisione apparet esse ratio restitutionis in integrum, hæc enim non nisi ex certis & prægnantibus causis competit, *auf wichtigen und erheblichen Ursachen* / l. 3. ff. *de restit. in integr.* Ordin. Cam. p. 3. tit. 52. quæ causæ cum valdè irregulares sint, & rarò in auxilium prostent læsis, hinc adeò fit, ut restitutio in integrum sit remedium extraordinarium; In revisione secus se res habet, nec desiderantur illæ, de quibus modò diximus, causæ, sed sufficit in genere iniquè aut nulliter iudicatum esse, sic enim Revisio generaliter lege inducta est Ordin. Cam. p. 3. d. tit. 52. & 53. ex quibus apparet, quod revisio sit remedium ordinarium non extraordinarium.
2. Prædicta Revisionis definitio ad Revisiones Camerales præcisè restricta est, cum tamen etiã coram iudiciis inferioribus dentur Revisiones, quæ non modo iuribus statutariis, sed & legibus Imperii obtinent, veluti in casu, quo ob defectum summæ appellabilis, ad Academiam vel collegium iudicum acta transmittuntur decisionis gratiâ; Hanc rem supra circa doctrinam de appellatione, loco non incongruo attigimus, interim verum manet, revisionem in genere, non præcisè ad Cameralem coarctari, quamvis hæc potissima ejus sit species, etiam nobis utramque ferè paginam factura, sed patere latius, unde revisionem



nem lubet definire hoc modo: REVISIO EST REMEDIUM ORDINARIUM EX CONSTITUTIONIBUS IMPERII COMPETENS, QUO INTRA DEBITUM TEMPUS A PERSONIS LEGE PRÆSCRIPTIS, GRAVATUS, ACTA DENUO PERLUSTRARI, SENTENTIAMQVE SIBI ADVERSAM REFORMARI PETIT.

DIXI REMEDIUM ORDINARIUM, quia juxta prædicta, revisio publica Imperii lege introducta est, & regulariter, modo explicato competit: Dixi EX CONSTITUTIONIBUS IMPERII COMPETENS, etsi enim revisio, cum remedio illo supplicationis de jure civili inducto, magnam habeat affinitatem, ad illiusq; exemplum excogitata fuisse videatur, tamen adhuc longo intervallo differt, tum quoad formalia & solennitates, tum imprimis etiam quoad judicem, qui in revisione longè est diversissimus, ut adeò remedium constitutionum Imperii revisio rectè dici possit. Addidi QVO INTRA DEBITUM TEMPUS, revisio enim certum tempus requirit, tum in aliis judiciis, tum præsertim etiam in summo Camerae tribunali, ubi hodie quadrimestre denunciandæ, observari debet, de quâ re infra plenius. Desuper appositum est A PERSONIS LEGE PRÆSCRIPTIS, tum quia alius in revisionibus Cameralibus, alius in his, quæ coram judicio inferiori fiunt, judex est, tum etiam quia in revisorio judex prioris instantiæ, saltem quoad punctum principalem, non judicat, idque patet, tam ex revisionibus particularibus, quàm Cameralibus, in quibus Imperatoris & Statuum deputati semotis Assessoribus revisoriam sententiam ferunt, juxta Ord. d. tit. 53. & d. §. Und sollen der Kânsf. Majest. & Recess. de anno 1654. §. Es sollen aber. & §. wenigens nicht. Sequitur in prædictâ definitione GRAVATUS, quia sicut in appellatione & querelâ nullitatis, gravamen requiritur, ut quis hujusmodi remediis contra sententiam uti possit, ita etiam se res habet in revisione, quinimò non qualiscunque sed magna læsio, in revisionibus Cameralibus requiritur, prout infra circa doctrinam de summâ revisibili satis patebit. Porro annexum est, ACTA DENUO PERLUSTRARI PETIT. Hoc enim est solenne & maximè proprium revisionis, ut judex ante acta iterum perlustret, & ex illis, nequaquam verò causis noviter deductis, in revisorio sententia feratur, Ordin. p. 3. d. tit. 53. §. Und sollen der Kânsf. Majest. quo facit R. I. de anno 1654. §. Doch mit diesem Zusatz. Tandem succedunt hæc verba, SENTENTIAMQVE SIBI ADVERSAM REFORMARI, hic enim est sco-



pus & ratio finalis revisionis, ne scilicet per sententiam damnum quis sentiat injustè, quod cum contingere possit, in certis casibus, quibus appellatio & querela nullitatis deficiebant, introducta est revisio, quasi in supplementum. Actantum breviter de definitione.

## CAP. II.

*De divisione.*

6. **P**ROcedimus ad divisionem, alia igitur revisio est iudicii Cameralis, quâ nimirum commissarius Imperatoris & Statuum Imperii, quos revisorius ordo tangit, deputati consilarii, de meritis sententiæ Cameralis, cognoscunt, alia iudicii particularis, qua scilicet super viribus sententiæ inibi latae, vel Academia aliqua, collegium juridicum, aut certi partibus utrisque non addicti Icti cognoscunt Recessus Imperii *de an. 1654. §. Doch mit diesem Zusatz.* Caterum solent Principes Imperii sua iudicia revisoria habere, quale est v. g. in Ducatu Württembergico, consilium superius Stutgardia. *Württembergisch. Landrecht p. 1. tit. 78. in princ.* In Saxonia, loco revisionis leuteratio aut oberleuteratio obtinere videtur. Verùm de his, quia sunt iura provincialia, ac nostro instituto alieniora, satis sit hæc generaliter attigisse, qui specialia desiderat, cuiusque ducatus vel territorii statuta & consuetudines consulerere poterit.

## CAP. III.

*De Iudice competente Revisionis.*

7. **P**ORrò quinam sint revisores Camerae, adeoque Iudices competentes in revisione Camerali, apparet ex Ord. Cam. *p. 1. tit. 50.* nempe, 1. Commissarius Imperatoris. 2. Ab Electore Moguntino, ut & 3. ab alio quodam Electore, missi singuli consilarii, item 4. Princeps Ecclesiasticus. 5. Princeps secularis, qui alternis annis in persona, vel per deputatum comparere debent. 6. Comitum. 7. Abbatum. 8. Civitatum Imperialium, singuli deputati numerantur Ord. *loc. cit.* hodie tamen, principibus necessitas personaliter comparendi est remissa, per R. I. de anno 1654. §. *Wie nun die überhäuffte.* Verùm circa hanc materiam quæritur primò, qualem revisores habeant jurisdictionem, ordinariam vel delegatam? Puto ordinariam habere non delegatam, ratio



ratio est, quia, quæ specialiter lege competunt, delegari nequeunt, per  
*l. un. in princ. ff. de eo cui mand. est jurisd.* at Jurisdictio revisorum, lege  
 nempe Ordin. Cam. tit. 53. illis specialiter tribuitur, E. &c. Quari-  
 tur 2. Utrum decisum Academiae vel Collegii juridici, cui acta ad revi-  
 dendum transmissa sunt, habeat vim sententiae, vel saltem consilii? Re-  
 spondeo habere vim sententiae, eoque iudicem praecise teneri ad ejus  
 observantiam, nec in iudicando recedere posse, ratio est, quia intentio  
 R. N. §. *Doch mit diesem Zusatz.* haud dubie eo collimat, ut in locum  
 appellationis quaeratur aliud remedium, sed hoc obtineri non posset, si  
 placitum Ictorum, Academiae, vel Collegii juridici, pure se haberent in  
 modum consilii, per *l. in ambigu. ff. de reg. jur. praep. mis.* quia dispo-  
 sitio *d. §. Doch mit diesem Zusatz.* in fine restringitur quoad privilegia  
 statuum, E. debent utique praesupponi termini habiles, in quibus sta-  
 tuum potestas iudicandi quadantenus alieno quasi alligaretur decreto.  
 Quæro 3. an hæc jurisdictio revisorum; se etiam extendat ad forma-  
 lia revisionis? Dicendum videtur, quod ad ea se non extendat, quia  
 SCtum *Camera de anno 1619.* in cognitione, an petitae revisioni defe-  
 rendum sit, nec ne, Camerae attribuit Jurisdictionem, non quoad for-  
 malia tantum, sed & quoad materialia, & quidem hæc additâ ratione,  
 ne alioquin summo Camerae dicasterio, in causis revisionum minus li-  
 ceat, quam iudiciis particularibus in causis appellationum, dum scili-  
 cet liberum est, petitae appellationi deferre, vel non. Hinc usu obti-  
 nuit, ut Camera in puncto devolutionis ac desertionis, super revisorio  
 pronunciet, ita in causa *Oldenburg contra Waldeck / revisionis*, ante  
 sesquiannum circiter, desertoria lata fuit. Nihilominus tamen  
 puto, etiam hanc eandem quaestionem, an petitae revisioni deferendum  
 sit, nec ne, adeoque etiam formalia revisionis pertinere ad decisionem  
 revisorum; ratio est, quia in Recessibus Imperii, nullibi punctus for-  
 malium revisionis, à cognitione revisorum eximitur, ergo sub generali  
 concessione jurisdictionis super revisorio, comprehenditur etiam co-  
 gnitio de formalibus, quippe cum concessa jurisdictio, in causâ princi-  
 pali, censeatur etiam concessa, circa necessaria & dependentia, ut pos-  
 sit iudex cognoscere, an sua sit jurisdictio, vid. Card. Tusch. *lit. 1. con-  
 clus. 549.* tantò magis, quia sine cognitione formalium, jurisdictio re-  
 visorum in principali exerceri nequit, & in effectu semper declinari pos-  
 set, si punctus formalium revisionis, decisioni Camerali, praecise sub-  
 jaceret, E. revisores etiam super formalibus, cognitionem habere de-  
 bent, per *l. 2. ff. de jurisd.* Consentit R. I. noviss. §. *wenigers nicht.*

8.

9.

10.



dum revisionibus frivolis, à revisoribus non esse deferendum, statuit. Ergò necesse est, ut iidem habeant cognitionem super formalibus revisionis. Ad dubium itaque ex adverso motum, respondeo; Rationem illius S<sup>C</sup>ti Cameralis, non excludere revisores, imò nec posse excludere à cognitione formalium revisionis, sed tantum disponere, ut Camera super formalibus & materialibus revisionis, an eidem deferendum sit nec ne, non minus decernendi facultatem habere debeat, ac iudex inferior de meritis interpositæ appellationis, & per consequens, hæc talis Camerae decisio, habet se in modum decreti, per quod, etsi aliquid denegetur, iterum tamen supplicare licet. Porro revisores in causa revisionis, antea non debent egisse vices Advocatorum, ac desuper, uti & quòd priorem iudicem reverenter habeant, acta judicialia diligenter revisuri, sententiamque citra omnem corruptelam, benè ponderatis decidendi rationibus, secundum conscientiam jure informatam sint prolaturi, juramentum præstare tenentur, Ord. Cam. p. 3. tit. 53. §. Und sollen. Cæterum jam per multos annos, & quidem ab anno 1589. magno Germaniæ malo, visitationes Camerae, adeoque judicia revisoria neglecta fuerunt; causas cur id contigerit ad Iuris publici scriptores, pertinet expromere, nec est nostri instituti, interim satis apparet, illud magna ex parte hinc evenisse, quod Episcopis protestantibus, disputarentur jura votandi in Comitibus, adeoque in dubium revocaretur, utrum illi inter Status Imperii, venirent numerandi, nec ne? cum itaq; Status Imp. ex ordine sumerentur, ad visitationes Camerae, & verò nec catholici ad hanc admittendo, Episcopos protestantes, nec vicissim protestantes cedendo, præjudiciū sibi attrahere vellent, hinc intermissio visitationū Camerae, per tot annos jam continuata est. Cæterū per instrumentum Pacis Episcopi Augustanæ Confessionis, jura suffragiorum, perspicuè & extra dubium tenent, adeò, ut ad omnes, tum generales, tum speciales, nominatim etiam, visitationum ac revisionum conventus, vocari mereantur. Instrum. Pac. art. 6. unde etiam Rec. I. Noviss. visitationum & revisionum expediendarum obstacula, per instrum. pacis sublata esse asserit, §. Wie nun die überhäuffte. Sed hæc obiter & velut in transitu diximus.

12. Nunc de sportulis pauca afferemus, siquidem tum ad coërcendam temeritatem litigantium, tum ad procuranda revisoribus alimenta statutum est, illum, qui revisionem petit, sportulas quasdam, pro ratione actorum taxandas, in antecessum realiter deponere debere, quas in casum victoriae recepturus, succumbentiæ verò amissurus, sed &, magnâ  
 appa-



apparente litigii temeritate, aliam pœnam Camerae inferendam, vel intuitu paupertatis, corporalem ex arbitrio perpessus sit, R. I. de Anno 1654. §. *Damit dann auch*. id quod obtinet in revisionibus, post dictum Recessum emergentibus, sed quod ad priores attinet, pecuniæ numeratæ, ad Archivum realis depositio, non antea fieri debet, quàm unius cuiusque earum cognitio suscipitur, *d. §. Damit dann auch*. Circa hanc materiam quæro, utrum revisio haberi debeat pro non devoluta, vel pro deserta, quando ob paupertatem, sportulæ à revisoribus æstimatæ in pecuniâ numeratâ, à parte deponi nequeunt? Non puto, idque ne sua paupertas cuiquam absque facto damnosa sit, si tamen hic talis succumbat, eo graviore pœnâ corporali erit afficiendus, *arg. d. §. Damit dann auch*. Quæro 2. quis debeat ferre sumptus in ejusmodi casu? Puto, hoc onus pertinere ad Status Imperii, penes quos tunc est visitatio Camerae, ratio est, quia visitatio Camerae competit Statibus Imperii, in modum muneris publici, ergò extra casus aliter expressos, sumptus dehinc provenientes ab illis ipsis sustineri debent, per *l. 14. §. 1. ff. de l. munic.*

## CAP. IV.

*De causis petenda revisionis.*

**P**ORRò in quibus causis & in quâ summâ revisio procedat disquirendum nunc est, ubi de priori tenenda regula: In quibus causis jure communi prohibita est appellatio, cessare quoque revisionem R. I. de anno 1654. §. *in fällen*/unde, quia in causis, quæ per viam compromissi ad Cameraam deveniunt, appellatio prohibita est *l. 1. ff. de recept. arbitr.* consequens erit dicere in illis etiam non habere locum Revisionem: idemque in similibus. Verùm quemadmodum accipi hoc debeat, & num juris communis Nomine hoc loco intelligatur, etiam id quod forsitan per Imperii constitutiones, aut etiam per consuetudinem, in usu esse desit, quæstionis non est intelligantis? E. g. Jure communi prout supra dictum est, in omni possessorio, prohibetur appellatio indistinctè, sed si spect. Ord. Cam. & jura constitutionum Imperii, tantùm in possessorio summarissimo prohibita est appellatio, extra hoc autem permessa, quæro igitur an vigore *d. §. in fällen*, liceat vel non liceat Revisionem petere in possessorio, idemque in similibus? Puto jus commune hic intelligi non præcisè, in quantum est scriptum in libris Justinianeis, sed in quantum adhuc hodiè immutatum non est; Quæ enim Ap-



- pellationes, per Constitutiones Imperii, vel consuetudinem impro-  
bantur, non possunt amplius dici, jure communi permixtae, quia jura  
recentiora corrigunt priora. *l. 28. ff. de ll.* Ergo tō jure communi prohi-  
bitum esse *ind. §. in fallen.* Ex audiendum est cum Effectu, & de jure  
communi non correcto, maximè cum ante d. Recess. usus etiam hoc  
15. docuerit, adeoque hūc faciat *l. 37. ff. de leg.* Veruntamen ut hoc pro-  
cedat, necessum est, ut de immutatione juris communis, expressè con-  
stet, quo intuitu; exceptio tertiæ provocationis, quæ jure communi  
est peremptoria Appellationis, etiam in Revisorio attendi debet, vi-  
delicet, cum ratio illa, ne status Imperii ad declinandum summum  
tribunal, plura judicia particularia instituere possint, toties cessare vi-  
deatur, prædicta adeò procedunt, ut etiam casu, quo à judicio inferio-  
ri contra appellationes privilegiato, per viam simplicis quærelæ causa  
ab Cameram devoluta est, Revisio cesset, *Reichs Abscheid de anno 1654*  
*§. zu abfürzung.* Quis verò sit hic casus, aut quemadmodum causa ad  
Cameram citra provocationem ab inferiori judicio devolui possit, du-  
bitatur? Puto tunc illud contingere, quando cuusa à judicio inferiori  
per viam nullitatis principaliter motæ ad Cameram pervenit, tunc e-  
nim, in modum simplicis quærelæ devoluta intelligitur, per ea,  
quæ supra diximus de nullitate. Quibus itaque causis pro-  
hibita sit revisio, satis sit generaliter explicasse; Nam specialis  
consideratio, haberi potest ex superiori doctrina appellationis, ubi  
in quibus causis, appellatio hodiè licita sit, vel non distinctè diximus,  
16. quo loci præfens adeò tractatio remittitur. Pauca lubet in specie ad-  
dere, utpote in superioribus non expressa, & quidē (1.) an dari debeat re-  
visio Revisionis? Pulchrè distinguit Roding. *l. 3. Pand. Cam. t. 61. fol.*  
*927. & 928.* Hoc modo aut victor in Judicio Camerali, vicit quoque  
in Revisorio aut succubuit; Priore casu, iterata Revisio denegatur *arg.*  
*l. 5. C. de prec. Imperat. off. Ordin. Cam. p. 3. tit. 53.* Posteriore casu con-  
cedenda est, *arg. tot. tit. §. quod quisq. jur. facit hūc l. non debet. ff. de regn.*  
17. *jur.* Quæritur secundo quando Revisores pronunciaverunt nulliter,  
an saltem ex eo capite in Camerâ detur Revisio Revisionis? *Ordin.*  
*Cam. p. 3. tit. 53. §. im fall aber / vult sine Appellatione, Supplicatione*  
*vel Revisione, sententiam Cameralem per Revisores confirmatam,*  
*executioni mandandam esse, adeoque videtur quod in casu nostro, non*  
*debeat dari Revisio Revisionis; Verum, quia sententia nulla in Effectu*  
*Juris est pro non latâ eoque non potest impedimentum præstare c. non*  
*præstat*



*praestat de reg. jur. in 6. nec etiam dici potest, quod Revisores tali casu ve-*  
*rè confirmant, anteriorem decisionem hinc statuo, etiam adversus ta-*  
*lem sententiam dari Revisionem, ad Effectum ut idem Judex rursus co-*  
*gnoscat, modo tamen nullitas sit circa substantialia & maximè evidens*  
*quo casu cum etiam à Principe latâ sententiâ ad processum denuò redi-*  
*re liceat, per textum l. 1. §. 1. circa fin. ff. de appell. Clem. pastoralis de reju-*  
*dic, utique etiam, quando Revisores nulliter pronunciant, ac processus*  
*vitio aliquo substantiali & in sanabili laboraret, ( id quod tamen de his*  
*judicibus præsumi non debet ) iterato ab ipsis sententia ferenda erit;*  
*Quamquam probabile reputem difficilius quinquam ex hâc causâ au-*  
*ditum iri. Quæro (3.) an adversus sententiam reductionis ad arbitri-*  
*um boni viri, in Camerâ latam, detur Revisio? Videtur negandum ex*  
*eo, quod talis processus surrogetur, in locû compromissi, ut adeò sicut*  
*à laudo, appellare non licet, & consequenter contra illud, nec Revisio-*  
*nem petere, ita ex Regula subrogatorum, idem quoque adversus sen-*  
*tentiam Reductionis ad arbitrium boni viri, non permittatur per l. 6. §.*  
*1. ff. quod cujusq; univers. nom. l. si donata §. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor.*  
*Contrarium tamen est verius, quia reductio ad arbitrium boni viri non*  
*subordinatur arbitramento propriè loquendo, neque enim velut in*  
*compromisso, voluntariè agitur, ad decisionem litis sed tantum ad no-*  
*toriam laudi iniquitatem, vel sordes arbitri in melius reformandas, vid.*  
*pro hâc sententiâ citati à Tuscho L. A. conclus. 414. n. 2. quo facit, quod*  
*Appellatio ut supra quoque diximus, sit de genere permissorum, & ex-*  
*tra casus specialiter prohibitos, regulariter permessa, ut ad eo deficien-*  
*te in primis, relevante in contrarium ratione, etiam adversus sententi-*  
*am reductionis ad arbitrium boni viri, & per consequens etiam Revi-*  
*sio, adversus eandem valere debeat, R. I. de an. 54. d. §. in fällen / Quod*  
*ipsum, quamvis indistinctè ex dictis affirmandum sit, tamen maximè*  
*procedet in eo, qui coram arbitro vicit, deinceps verò in Judicio Redu-*  
*ctionis est victus, arg. eorum, quæ paulò ante circa quæstionem de Re-*  
*visione Revisionis posuimus. Quod summam Revisionis attinet, sta-*  
*tuta est ea in R. I. de anno 1654. §. in abführung 2000. Imperialium, &*  
*quidem demptis usuris ac interesse; quod dubio procul procedit, in*  
*causis mutui & cæteris etiam regulariter, verùm si sint annui reditus,*  
*quid tum obtineat, non est expressum? Puto tamen, quia 16. Imperia-*  
*les in annuis reditibus æquivalent quadringentis, 80. Imperialibus*  
*quoad annuos reditus, constitutum iri summam Revisibilem arg. R. N.*  
*§. zum vierten / & l. 12. ff. de leg. Quæro utrùm interesse à summâ re-*  
*visibili*

38.

18.

19.

20.



visibili excludatur, etiã in casu, quando principaliter petitur, ut in casu, quando agitur ex vendito ad interesse, deperditã re venditã? Puto tunc interesse venire nomine sortis, adeoque computari debere, in summã revisibilem, ratio est, quia hoc tale interesse, reverã nihil aliud est, quã intrinseca æstimatio rei venditæ, secundum tempus, quo ob moram venditoris jam deperdita fuit, adeoque non distinguitur à sorte, per *l. 21. §. 3. ff. de action. empt.* quod ad actiones pœnales attinet, in eundã summã Revisibili, secundum tradita de summã appellationis, etiam hic de illis idem fero iudicium. Quæto ulterius, utrũ intuitu paupertatis hodiẽ in Revisione, sicut in Appellatione possit admitti minor summa? Nego, fundamentum est, quia constitutio disponens de summã Revisibili, non attentis personis vel facultatibus, est jus generale expressum, E. debet prævalere æquitati non scriptæ, quæ in pauperibus subesse poterat per *l. 19. ff. de appell.* Denique utrũ summa revisibilis, æstimari debeat ex eo, quanti petitio, an verò quanti æstimatio facta sit? Transcribendum est in hunc locum ex superiori doctrina de summã Appellabili.

## CAP. VI.

*De temporibus Revisionis.*

22. **T**empus Revisionis, vigore ordin. sæpè *d. tit. 53.* fuit bimestre, incipiendum ante Calendas Maij, deinde per R. I. de anno 1570. cœpit esse indistinctè trium mensium, hodie est quadrimestre, à die latæ sententiæ Cameralis computandum, R. I. N. d. §. in fällen / quod ad tempora Revisionum particularium attinet, in R. I. non determinantur, sed petenda sunt ex iuribus statutariis, verum quid in casu, ubi ob summam non appellabilem petitur revisio, & fortassis, ex statuto non est præfixum certum tempus? Puto observandum esse decendum, ut in appellatione, in cujus locum per R. N. §. doch mit diesem Zusatz / revisionis interpositio surrogata est, adeoque etiam naturam e jus sapiet per *l. si donata §. 1. ff. de don. int. virum & uxor. facit l. 3. C. quom. & quand. jud.* Et prædictum quidem revisionum Cameralium quadrimestre, vocari solet, fatale intimandæ, intra quod scilicet, ArchiEpiscopo Moguntino, aut si causa ad illum quoque spectet, Coloniensi petitæ Revisionis debet fieri notificatio, annexã scilicet petitione, ut ad Cameram desuper literas denunciatorias (vulgo ein denunciations-Schreiben) transmittere

23.



tere velit *d. §. in fällen*; Præterea Camera quoque insinuari debet, intra quadrimestre, Revisio, cum deductione gravaminum, & juramentum quoque Revisorium, tum à parte, tum ab Advocato, per se vel per Procuratorem, interveniente scil. hoc casu speciali mandato, præstari *§. eod.* excipitur tamen in puncto gravaminum, nisi petita sit prorogatio *§. eod.* Unde quæro, utrum etiam in cæteris modo dictis formalibus, veluti quoad fatale intimidandæ, insinuationem cameralem, & Juramentum Revisorium prorogatio peti possit intra quadrimestre? Puto non posse, inspectâ mente Legis, cum enim hæc sint separatissima capitula & licentia petendæ prorogationis soli oblationi gravaminum subnexa est, apparet voluisse Legislatorem, ne hoc ipsum liceat in cæteris arg. *l. 18. ff. de testib.* Quæro utrum literæ denunciatoriae à Moguntino ad Cameram missæ, in tantum requirantur, ut sine illis insinuatio Camera ritè non fiat? Non inficior usitatum esse, ut per illas insinuatio petitiæ Revisionis Camera fiat, ut notat Roding. *l. 3. pand. tit. 61. fol. 919.* Verùm si hoc secundum Constitutiones Imperii pro formali requisito prædictæ insinuationis ponatur, non erit in arbitrio partis positum, utrum Revisionem petitam Camera insinuare velit, sed totum pendebit ab arbitrio Moguntini, quod si hic Elector intra quadrimestre non extradat literas denunciatorias, sententia juxta *d. §. in fällen* / & casum non absimilem in *Nov. 126. c. 3.* plenè confirmabitur, Ergò etiam absq; his literis denunciatoriis, fieri poterit Camera insinuatio, petitiæ Revisionis, præprimis, cum Leges interpretari conveniat benignius, quò voluntas illarum conservetur *l. 18. ff. de leg.* Cæterùm an juramentum Revisorium etiam à Consiliariis juratis Statuum, ob patrocinium in causis Dominorum, præstari debeat, quæstionis est? Puto ex consimili ratione, quâ ad juramentum calumniæ non tenentur, nec juramentum appellationis vel Revisionis, ut præstent, eos cogi posse, per ea, quæ supra hæc de re sunt tradita, etsi hoc ipsum in Camerâ non ita expeditum sit, sed planè in controversiâ vocetur. Porrò cum hæc talia observata fuerint, Revisores desuper non tantum ab Electore Moguntino, ut Spiræ certo termino conveniant, admonentur, sed & à parte instanter hoc ipsum est efflagitandum, quia si hoc posterius omittatur, & deputati Revisorum in termino & loco non compareant, imminet præjudicium desertionis, secus si non foret notorium, hanc moram parti adscribendam *Ord. Cam. p. 3. d. tit. 53. §. ob auch die Revision.* Præterea, ad prosecutionem processus in Revisorio, quod pertinet, non sunt alii termini, qui præjudicium desertionis, in eventum non comparitionis, habeant,

G

habeant,

24.

25.

26.

27.



28.

habeant, parti petenti ipso jure expressè præfixi, puto tamen multò fortius dici, si per moram partis in comparendo stet, quò minus in Visitatione, in qua alioquin cognitio Revisionis suscepta fuisset, Revisores de petita Revisione cognoscere possint, tacitè illam reddi desertam, arg. d. § ob anch die Revision. Cæterùm duobus scriptis, quorum alterum auctori, alterum reo conceditur, sic tamen, ut nihil novi deducatur, tota causa notio terminatur, Ordin. d. tit. 53. § 1 Erstlich / Id quod intelligendum est de articulo principali, nam in puncto cautionis ad inducendum, vel respectivè declinandum effectum suspensivum, de quo paulo inferius, etiam duo scripta, quorum primum pars rea, alterum pars victrix, excipiendo super insufficientiâ cautionis infert, admittuntur; Quod si iudex ex his quoad merita cautionis, & quoad facultates partis rea, sufficienter se instruere nequeat, per Principes, Directores Circuli vel etiam per commissionem certior factus, in puncto cautionis sententiam ferre debet R. I. N. § nach berathschlagung / unde etiam duplex sententia in Revisorio contingit, una in puncto cautionis, quæ in ordine ad effectum suspensivum, inducendum, vel declinandum, magnum quidem præjudicium secum affert, reparabile tamen, eoq; interlocutoria rectè dicitur altera in principali, quæ propriè hic definitiva est, atque hæc breviter de temporibus revisionis.

29.

CAP. VII.

De Effectibus Revisionis.

30.

**P**rogredior ad effectus Revisionis, quorum præcipuus est devolvere causam, ad aliam instantiam, non verò suspendere executionem, R. I. N. d. § nach berathschlagung / unde nodus ille Gordius, an scilicet Revisio, Effectum suspensivum vel purè devolutivum habeat, hodiè solutus est, Cæterum quia pars rea in Revisorio cautionem de restituendo offerre debet, quatenus quidem executione interim frui vult, ideò effectus suspensivus adhuc hodiè magnas quæstiones pati potest, unde in primis, utrùm statutum Imperii scripta cautio sufficiens existat, item an intuitu paupertatis, planè remitti debeat, Judicis arbitrio subjicitur

31.

d. § nach berathschlagung. Circa hoc quero, utrùm iudicis arbitrio, etiam extra casum paupertatis remitti possit? Puto non posse, idque quia constitutio disertè asserit cassationem effectus suspensivi, in Revisione hæc demum conditione procedere, ut à parte victrice, cautio de restituendo





51.  
 restituendo, sufficiens præstetur *d. §. nach berathschlagung*. Quod dictum est de effectu suspensivo, limita dupliciter 1. ut non procedat respectu Revisionum, *R. I. de anno 1654. antiquiorum*, Leges enim regulariter ad futura, non ad præterita pertinent *l. 7. C. ll. 2.* Respectu Revisionum causas religionis vel Ecclesiasticas concernentium, id quod tamen ad interim tantum, dum alia dispositio fiat, quæ hætenus desideratur, constitutum est, *d. §. nach berathschlagung*. Secundus effectus est, ut pendente lite revisionis, præsertim hodiè in puncto cautionis, nihil debeat innovari, per ea, quæ supra de appellatione & querela nullitatis dicta sunt; Cæterum in quibus causis appellatio, secundum jura quidem procedit, sed non ad effectum inhibitionis, puto etiam eodem modo procedere Revisionem, unde quando revisio super possessorio retinendæ, interposita esset, puto, cessare inhibitionem, arg *R. I. de anno 1594. §. die Inhibitiones & R. I. N. §. in fällen*. Sed quemadmodum attentata partis adversæ rescindi poterunt? Puto ad instantiam partis agentis in revisorio, Cameram decernere debere, mandata de revocandis attentatis sine clausulâ, tum quod jurisdictio ejus fundata sit, *auff die vier fälle / Ord. p. 2 tit. 23.* tum quod sententiæ Revisoribus latæ, executio indistinctè ad Cameram spectet, arg. *Ordin. cit. tit. 53. §. im fall a ber / Tantum de Revisione*,

32.

33.

TIT. IV.  
 DE SYNDICATU.

1.  
 Succedit quarto loco Syndicatus, qui tantam cum revisione habet affinitatem, ut propemodum, pro specie ejus haberi possit, unde etiam in *Ordin. p. 3. tit. 53. §. finali*, in Syndicatu idem processus, qui & in revisione, obtinere statuitur; Verum, quia sunt, quæ Syndicatum à revisione satis internoscunt, præsertim etiam ordinatio *loc. cit.* hæc eadem haud obscurè distinguit de eo, seorsim agere placuit, & quidem hoc ordine, ut 1. dicamus, quid sit, 2. quæ in syndicatu obtineat summa, 3. quæ requirantur tempora, 4. qui sint Effectus. Et cum hæc omnia concisiora esse videantur, post traditam definitionem, per quæstiones, nos paucis absolvemus. Syndicatus in jure civili significat officium procuratorium universitatis, Syndicus enim est procurator universitatis, prout constat ex *l. 1. §. 1. l. 6. §. 1. ff. quod cujusq. univers. nomine*, & hæc est vocis significatio nativa, sed

G 2

cum



cum postea depravatis moribus Syndici in rabulas degenerarent, operamque suam, ad quasvis fraudes, venalem haberent, hinc Syndicari, idem esse coeptum est, quod ex corruptela, vel malo Affectu in foro quippiam agere, adeoque quia idem quoque morbus interdum iudicum animos inficere solet, ut desuper contra illos actio institui possit inde puto, evenisse, ut tunc dicerentur syndicari, eoque casu instituere liceret, remedium Syndicatus. Est igitur Syndicatus remedium juris & Constitutionum Imperij, quo sententia per dolum, corruptionem, aut affectum Indicis pravaricationemve Procuratoris lata, exinde impugnatur & coram revisoribus Camerae debito tempore petitur, ut huiusmodi Iudex vel Procurator, damnum resarciat, *d. tit. 53. §. ob sit a ber & fin.* quae definitio per se satis clara est, continetque tuas praecipuas, quanquam etiam aliae ex dicendis colligi possint, a revisione differentias, quarum prima est, quod in syndicatu agatur, ex dolo in revisione nequaquam. Secunda quod in Syndicatu non tantum provocetur ad aliam instantiam, sed etiam adversus iudicem vel procuratorem causae in modum partis agatur, id quod in Revisione non fit. Caeterum haec talis petitio per literas intimatorias Electori Moguntino est significanda, *Ord. d. t. & §. fin.* quando autem & intra quod tempus fatale intimandi Syndicatus, hodie observandum sit quaeritur? *Ord. d. §. fin.* statuit, hoc fieri debere intra proximum bimestre ante Calendas Maji, postea hoc ipsum tempus per *R. I. de anno 1657. §. wiewol ferner* tum in Revisione, tum in Syndicatu expressè & indistincte, ad tres menses est extensum, verum quia post *R. I. N.* fatale intimandae in revisione factum est quatuor mensium, nec tamen idem in Syndicatu statutum, inde quaeritur, an ex paritate rationis, hoc idem obtinere debeat in Syndicatu? videtur affirmandum quod tanta ejus sit cum Revisione affinitas, ut in processu eadem forma eademque Leges, quae in revisione veniant observandae, *Roding. l. 3. pand. Cam. tit. de syndic. fol. 933.* at enim, quia *Ordin. dict. §. fin.* processum Syndicatus tantum exaequat processui Revisionis, post jam observatum fatale intimandi, Syndicatus autem, prout paulo ante ostendimus, remedium distinctum sit a Revisione, dicendum est trimestre, illud tempus adhuc hodie valere, pro fatali intimandi Syndicatus arg. *l. 32. §. fin. C. de appell.* praesertim cum *d. §. wiewol ferner* quoad noviter inductum trimestre, expressis verbis, tam Syndicatum, quam Revisionem toties repetat, quod alioquin certè fecisset planè frustra. Quaro ulterius, an summa revisibilis, etiam sit attendenda in Syndicatu? Puto praecisè non attendendam, tum quod de Syndicatu





dicatu hoc ipsum nusquam exprimat, tum quod ratio inducendæ summæ revisibilis, quæ fuit, ne revisiones frivola nimium coacervarentur, in judicio Syndicatus videatur cessare, quippe cum per seipsum ob maxima annexa pericula, non tam pronum sit ac revisio, inde asserendum videtur, hanc rem relinqui judicis arbitrio, qui non passim sed magnâ versante partis læsione Syndicatu deferret, arg. l. 9. §. *fin.* ff. de dol. Et si non diffitear, in ejusmodi, arbitrio, etiam summæ revisibilis considerationem habendam esse arg. l. 12. ff. de leg. adeoque explicationem summæ modicæ, quæ est in l. 10. ff. de dol. in Syndicatu existimari longè vilissimâ. Ad quid autem tendat hujusmodi actio in Ord. d. loc. non distinctè positum est, tantummodò dicitur, in tali casu, agi posse, *Wie sich gebührt. d. §. Ob sich aber.* sive etiam *vermög der Rechten. d. §. fin.* unde suppleendum est, hoc ipsum ex jure communi, ad quod hic loci, dubio procul fit relatio, distinguo itaque duos casus, aut enim quis agit ex capite doli adversus judicem, tanquam gratia, vel etiam ab adversario corruptum, & ad infamiam restitutionemque damni litis intentatur judicium, l. *fin.* C. de judic. qui mal. judic. c. 1. de re jud. in 6. ac præterea ab Imperatore vel Rege Romanorum, hic talis judex arbitrariâ pœnâ afficitur, Ordin. d. r. & §. *Ob sich aber.* aut ex capite prævaricationis, adversus procuratorem agitur, & hic talis à judice Camerae punitur extra ordinem, §. *eod.* & l. 1. §. 1. ff. de prævaric. Quæro, quid obtineat in Syndicatu circa effectum suspensivum? Secundum prædicta puto, hunc ipsum, relictum esse dispositioni juris prioris, non obstante Ord. d. §. *fin.* vel R. I. N. §. *Nach Berathschlagung.* Quinimò cum hoc ipso ordin. §. expressè habeatur, debere Revisores in Syndicatu procedere, ut in revisione, & verò eo loci §. *Im fall aber.* executio lata, antea sententiæ in revisorio suspendatur, colligo inde, in Syndicatu obtinuisse, adeoque deficiente expressâ immutatione, hodiè num obtinere effectum suspensivum, arg. d. l. 32. & §. *fin.* C. de appell. Porro quæro, an Remedium Syndicatus, detur vili personæ adversus judicem, vel eos, qui loco judicis sunt in Camera? Non puto, ratio est, quia in Syndicatu, expressa debet fieri mentio doli, arg. Ord. d. §. *fin.* ibi: *solches unserm Nassen dem Erzbischoff zu Mainz zu erkennen geben/* atqui hoc ipsum denegatur humili personæ in l. 11. §. 1. ff. de dol. cum primis quia hoc ipsum tenderet in magnum dedecus, judicii Camerae, contra mentem Ordin. p. 1. tit. 1. ac 3. Tandem quæro, utrum dispositio Legis, §. *fin.* C. de dol. obtineat in Syndicatu, adeò, ut intra bien-

6.

7.

8.

9.





nium sub præjudicio desertionis debeat finire? Puto valere saltem ad hunc effectum, ne pars ipsa in morâ sit, quominus intra hoc tempus negotium terminetur, *arg. ordin. d. tit. 53. §. Ob auch die Revision*, quò facit, quod famosæ actiones, qualis est etiam Syndicatus regulariter arctiori termino constringantur, ut patet, adeoque multò fortius hoc dici debebit in casu, quo, uti hoc nostro etiam, lex non correctâ hoc ipsum expressè disponit, quæ ita hæctenus de Syndicatu dixisse breviter, sufficiat.

## TIT. V.

## DE SUPPLICATIONE.

1. **I**Nter remedia adversus sententiam competentia superius quinto loco numeravimus supplicationem, in quâ considerabimus 1. quid sit. 2. Quot in eâ debeant esse consiliarii aulici loco judicum. 3. Unde taxanda sit summa. 4. Quæ tempora hic obtineant. 5. Qui effectus. Verùm, quia & ipsa hæc materia in jure non multas sortita est paginas, ideò brevitatis causâ post definitionem, per quæstiones, eam breviter percurremus. Supplicatio igitur de jure communi inducta fuit, in subsidium appellationis, ceu antea quoque de revisione diximus; Cum enim essent magistratus nonnulli, à quibus ob specialem prærogativam dignitatis, non licebat appellare, & verò illi nolent, quenquam per illorum sententias injustè gravari, adinventâ est vice appellationis supplicatio, ut apparet ex *l. 19. C. de appell. l. un. C. de sent. præfect. prætor.* quod ipsum tamen privilegium, adeò speciale fuit, ut cæteris præfectis non competeret, *d. l. 19.* idque primorum Imperatorum tempore non habet dubium, quanquam sequior ætas hoc ipsum etiam, ad præfectos urbi & magistros militum produxisse videatur, per *l. 1. C. de præfect. prætor.*
2. Cæterùm jure communi supplicatio pro diverso tempore interposita, diversos etiam parit effectus; Quando enim intra decendium à die latæ sententiæ observatur, executio non aliter fieri debet, nisi pars victrix, de restituendo, idoneam fidejussionem præbeat, alioquin & casu, quo post decendium supplicatur, debet hoc dirigi ad Imperatorem & etiam absque fidejussione, sententia lata, executioni mandabitur, *Nov. 119. c. 3. auth. qua supplicatio, C. de prec. Imp. offer.* ex quibus patet, supplicationem jure communi, regulariter devolutivum tantùm, non etiam suspensivum effectum habere, excipe, nisi intra decendium interposita sit & pars victrix non idoneè fidejubeat, per *text. cit.* Porro semel tantùm  
suppli-



supplicare licet, & victus iterato, ad hoc remedium recurrere nequit, videlicet ut tandem aliquis sit litium finis, l. 5. C. d. tit. de prec. Imper. Et hæc quidem jure communi obtinent; In Instrumento pacis artic. 5. n. 20. hoc ipsum remedium ad Aulicum Imperii judicium applicatur atque inducitur, potestque, prout inibi proponitur, hunc in modum definiri, quod sit remedium, quo contra sententiam, in judicio Imperiali Aulico latam, imploratur Cæsaris auxilium, ut gravitati negotii paribus, neutrique partium addictis, & qui respectu hujus sententiæ, referentium vel correferentium partes non sustinuerint, utriusque Religionis, æquali numero Consiliariis, acta judicialia ad revidendum committat, & priorem sententiam retractet; Adduntur præterea duo ibidem, 1. quod hi consilarii concipiendæ & ferendæ priori sententiæ non debeant, interfuisse. 2. Quod Cæsarea Majestas in eiusmodi judicio Supplicationis in causis majoribus, Electorum & Principum vota liberè requirere possit; Verùm, quia utrumque ad benè esse tantum pertinere videtur, nec ad remedium Supplicationis necessariò requiri, propterea neutrius mentionem feci in prædictâ definitione. Porro quia hæc ipsa supplicationis definitio ex se perspicua satis est, nolo ejus explicationi multis immorari; Labet tantum aliqua circa hanc materiam per quæstiones enodare: unde quæro 1. quot Consilarii Aulici ad judicium Supplicationis requirantur? puto ad minimum quatuor requiri, duos Catholicos, & duos Evangelicos; quot autem supra quatuor assumi possint, modò numerus par observetur, Cæsarea Majestatis arbitrio relinqui, ratio est, quia cum catholici & Evangelici Consilarii æquali numero accipi debeant, necessum est, ut numerus Consiliorum in judicio supplicationis semper sit par, ex duobus enim numeris æqualibus, tertium, qui resultat, oportet esse parem, ceu patet ex Arithmeticis. 2. ut ex utrâque Religione assumantur Consilarii plures uno, alioquin dici non posset utrinque æquali numero, unitas enim per comparisonem ad aliam unitatem, non est numerus æqualis, sed principium tantum numeri, ergò cum sequatur hinc, ex utrâque religione, ad minimum duos Consilarios adhiberi debere, colligo in judicio supplicationis ad minimum requiri quatuor Consilarios. Verùm quia non est expressum, quot ultra quatuor ad hoc negotium assumi oporteat, puto numerum eatenus relinqui arbitrio Cæsaris. Regulare est enim, ut in non decisis, sequamur arbitrium judicis, per not. Bartol. in l. cum filius. §. pater. ff. de leg. 2. Sed quid 2. de summâ revisibili

dicendum

3.

4.

5.



- dicendum erit? Puto esse arbitrariam in Supplicatione, ita tamen, ut hoc arbitrium non ad parvam summam se reflectat, arg. eor. quæ supra de Syndicatu quoad hanc rem diximus. Quæro 3. utrum in Supplicatione requirantur literæ denunciatoriæ ad Moguntinum? videtur dicendum requiri, quòd in d. §. instrum. pac. processus iudicii Aulici, secundum Ord. Cam. institui debere, præcipiatur, atque Ord. Cam. ut superius circa Revisionem & Syndicatum vidimus, tali casu, ejusmodi exigit literas, ergò &c. Contrarium tamen ex eo decido, quòd supplicatio in d. §. instrum. pac. ad Cæsaream Majestatem dirigenda sit, ut hinc, quoad iudices competentes revisionis alia manifestetur mens & voluntas legis, quæ præsertim attendenda venit, l. 19. ff. de leg. tantò magis hâc nostrâ specie, cum d. §. alios etiam Revisores, quàm qui vigore Ordin. Cam. in revisione vel Syndicatu, iudicum vice funguntur, expressè constituerit. Quæro 4. quo tempore debeat supplicatio interponi? Puto debere proponi intra biennium à die latæ sententiæ, idque per d. Nov. 119. c. 3. & d. auth. quæ supplicatio. C. de prec. Imper. quòd tempus, quia nusquam legitur correctum, adhuc obtinere existimo, per l. 32. §. fin. C. de appell. Quæritur 5. utrum effectus suspensivus secundum Instrum. Pac. adhuc hodiè in remedio Supplicationis obtineat? Videtur hoc negandum duplici non contemnendâ ratione, 1. quòd per textus modo citatos ex jure communi, Supplicatio regulariter non sortiatur effectum suspensivum, sed tantum devolutivum; quòd justanquam non correctum, non viderur prohibendum stare, quâ ratione etiam Roding. l. 3. pand. Cam. tit. de revis. pag. 926. ad hoc statuendum, motum esse iudicio. 2. quòd per R. I. Nov. §. nach berathschlagung/effectus suspensivus in revisionibus regulariter sit sublatus, ut argumento ducto à simili idem probabiliter defendi videatur in Supplicatione. Nihilominus tamen, Effectum suspensivum etiam adhuc hodiè in Supplicationis remedio valere, iudico, etiam absque omni cautione fundamentum est, quia remedium Supplicationis suspensivum, in Aulâ Cæsareâ in ratione effectus est vice revisionis, secundum Ordin. Cam. consideratæ ut constat ex Instrum. Pac. art. 5. d. §. 54. sed illa habet effectum suspensivum, etiam absque omni cautione, prout apparet ex Ordin. Cam. part. 3. tit. 53. §. darauß sollen/ibid. und mit der Execution solcher Reformirten Urtheil. & §. Ob auch die Revision. quòd in primis facit, quòd vigore Instrum. pac. cit. loc. & ante Recess. novissimum supplicatio habita sit expressè pro remedio suspensivo. E. etiam nunc, quippe cum nihil in eâ correctum sit, habebit effectum suspen-



suspensivum absque omni cautione, adeoque cit. text. juris communis, quoad supplicationem Aulicam hodie respectu effectus suspensivi non obtinent. Non movet me, quod revisiones Camerales per R. N. d. §. Nach Berathschlagung/it. in puncto suspensionis acceperint immutationem, nam processus judiciarius Aulae Caesareae æquiparatur processui Camerali non simpliciter, sed tantum in tertio comparationis, & quoad Ordin. Cam. unde quia in illa similitudine processuum, utriusque Summi Tribunalis, non est facta extensio dispositiva, extra medium illud comparationis, non potuit per d. R. N. §. Nach Berathschlagung. cassatio effectus suspensivi, etiam respectu supplicationis in iudicio Aulico esse inducta, arg. d. l. 32. §. fin. C. de appell. l. 28. ff. de leg. Et hæc breviter de supplicatione.

## TIT. VI.

## DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM.

**A**ccedimus nunc 6. loco ad fertilissimam, & maximè usitatam materiam restitutionis in integrum, respicit ea, varia negotia civilia, veluti contractus, vel quasi &c. ac desuper ex multiplici capite competit, ceu videre est ex ff. per tot. ferè libr. 4. & libr. 2. C. per tit. plur. verum nostri instituti non est, restitutionem in integrum pro totâ sui amplitudine hæc vice pertractare, quin potius de eâ agimus, in quantum est remedium impugnandi sententiam, quo quidem considerandi modo redigimus hoc remedium ad sequentia capita, ut 1. tradamus ejus definitionem. 2. Divisionem. 3. Personas. 4. Causas ex quibus competit. 5. Summam. 6. Tempus. 7. Effectus, quibus breviter delibatis, ad rem ipsam convertimur. Restitutio igitur in integrum definiri potest, **REMEDIIUM JURIS EXTRAORDINARIUM, QVO LÆSUS CORAM COMPETENTE JUDICE, INTRA TEMPUS LEGITIMUM OB JUSTAS ET NOVAS CAUSAS, SIBI ADVERSUS SENTENTIAM SUCCURRI, ILLAMQUE RETRACTARI DESIDERAT, dico REMEDIIUM JURIS EXTRAORDINARIUM,** quia, si quis ordinariam habeat actionem, auxilium restitutionis in integrum ei denegatur, juxta l. 16. ff. de minor. Dico LÆSUS, quia in omni restitutione in integrum ex parte petentis, requiritur læsio, imò non qualiscunque minima, sed major tantum

H

attendi-



2. attenditur, per *l. 4. ff. de restit. in integr. l. 24. §. 1. ff. de minor.* Addidi, **CORAM COMPETENTE JUDICE**, qui Jure civili est judex major, vel Magistratus populi Romani, idque indistinctè, seu ipse protulerit sententiam, seu alius inferior, *d. l. 16. §. 2. ff. de minor.* de jure Camerali adversus sententias à se latas, ipsa Camera in integrum restituere solet, *Ordin. Cam. p. 3. tit. 82.* unde apparet, quod alioquin jure civili obtinet, ut idem judex sententiam suam rescindere nequeat, *tot. tit. C. de sentent. rescind. non posse*, intelligendum esse de judiciis ordinariis, non extraordinariis, & quando ex novis justisque causis, aliter judicari petitur, ut fit in restitutione in integrum. Adjicitur, **INTRA TEMPUS LEGITIMUM**, quia restitutio in integrum post debitum tempus intentata non sortitur effectum, per *l. 4. C. de his, que vi metusv. l. fin. C. de tempor. in int. restit.* Verùm pro variis hujus remedii causis variat quoque ipsum tempus, sicut infra dicendum erit, sequitur **OB JUSTAS NOVASQUE CAUSAS**, nisi enim justa causa sit, non competit in integrum restitutio, per *l. 3. ff. de in integr. rest.* Quod si justæ quidem sint, in prius tamen judicium deductæ, restitutio in integrum, non habitura foret locum, quoniam obstaret rei judicatæ exceptio, per *l. 12. l. 13. l. 14. in princ. ff. de except. rei judicate.* hinc adeò etiam *Ord. Cam. p. 3. d. tit. 52.* non justas modò, sed & novas causas exigit, ad intentandam restitutionem in integrum. Porrò subnexum est in definitione; **SIBI ADVERSUS SENTENTIAM SUCCURRI**, quia hæc est causa impulsiva, adprehendendi hoc remedium, quod licet sententia per se, & in Thesi spectata, justa haberi debeat, tamen intuitu certæ circumstantiæ & causæ nondum attentæ, quoad petentem fiat iniqua, *d. l. 3. ff. de rest. in integr.* Denique adjunxi, **ILLAMQUE RETRACTARI DESIDERAT**, tum quod hoc ipso, petendæ restitutionis ultimus scopus contineatur, tum etiam, quod hoc remedium, propriè loquendo, præsupponat sententiam, mero jure subsistentem, alioquin enim necessarium non erit, *l. 2. & tot. tit. C. in quib. caus. rest. in int.* Quid igitur sit restitutio in integrum, ex his, quæ dicta sunt hæctenus, haud obscurè intelligitur.

## CAP. II.

*De divisione restitutionis in integrum.*

4. **P**reterea quod divisionem concernit, jure communi, restitutio in integrum per se ipsam vix dividitur, sed varia tantum est, in ordine ad ea-



ad capita, sive causas, ex quibus competit; Sic v. g. alia est restitutio in integrum ex capite doli, alia ex capite ætatis, alia ex capite absentia Reipublicæ causâ, &c. Prout hoc ipsum videre est, ex ordine rubricarum in ff. & C & nos paulò superius innuimus; Verùm quia causæ restitutionis in integrum, infra specialius considerabuntur, ideò usque eò, hoc ipsum meritò differimus. De jure Constitutionum Imperii restitutio in integrum est duplex, vel brevi manu, vel præviâ citatione; Illa datur absque processu, & locum habet, ubi procurator adversæ partis apud acta, & sententia, contra quam petitur, interlocutoria est, R. D. de anno 1600. Wann gegen einer interlocutori. Hæc verò causæ cognitionem & processum requirit, ac tunc competit, ubi alterum illorum deficit, arg. d. §. Myns. l. 1. observ. 49. Circa hæc quæro, utrùm adversus non devolutoriam detur restitutio in integrum? Roding. l. 3. pand. Cam. tit. de restit. in integr. Regulariter hoc ipsum negat, sed non ad id relevantem rationem adducit; Puto rectius distinguere inter non devolutorias in causis simplicis querelæ, & inter non devolutorias in causis appellationum; Adversus non devolutoriam prioris generis, dico, regulariter denegandam esse restitutionem. Ratio est, quia cum hoc casu versetur præjudicium partis, non ita magnum, sed possit coram competenti actio principalis nihilominus institui, nec debet ei prostare in auxilium restitutio in integrum, arg. l. 4. de in integr. restit. Posterioris generis non devolutorias quod attinet, subdistinguendum puto, utrùm appellationes interpositæ sint à definitiva, vel vim ejus habente, an verò ab interlocutoriâ per definitivam reparabili; posteriore specie, ex paritate rationis, idem statuo, quod in non devolutoriis causarum simplicis querelæ, videlicet restitutionem in integrum esse denegandam; Sed priore casu, cum non minus damnum, per non devolutoriam parti irrogetur, atque si prior sententia in puncto principali confirmata fuisset, certè idem debet comperere remedium restitutionis, arg. l. 7. ff. de restit. in integr. Quæro 2. utrùm adversus desertoriam concedenda sit restitutio in integrum, distinguo aut desertoria præjudicium affert causæ principali, ut contingit in causis appellationum à definitiva vel vim ejus habente, &c. aut non præjudicat causæ principali, e. g. quando appellationem ab interlocutoria communi subsequitur desertoria; Priore specie admittendam, posteriore denegandam puto, restitutionem in integrum, ratio utriusque eadem est, quæ modo in præcedente quæstione fuit allegata. Quæro 3. cum dictum sit, adversus non devolutoriam in causis simplicis querelæ, restitutio-





nem in integrum regulariter, non esse decernendam. Numquid in specie idem obtineat, in non devolutoriis citationum ex L. diffamari, quibus præfigitur terminus ad docendum sua jura, coram competente iudice, & in eventum non comparitionis, perpetuum silentium imponitur? Puto hoc in casu, si pars relevantes causas habeat, quò minùs comparere possit aut debeat, restitutionem in integrum locum inventuram, ratio est, quia tunc ejusmodi non devolutoria, ratione perpetui silentii, in eventum annexi, causæ principali maximum damnum afferunt, adeoque ad illas redigi debent sententias, contra quas restitutio in integrum admitti potest, quo intuitu, cum nuper in causâ *Hohenloe Langenburg contra Hohenloe Neuenstein* decisæ cit. ex L. diffamari, ex hoc capite in Augustissimâ Camerâ, extrajudicialiter pro cit. ad vid. se restit. supplicarem per decretum ad iudicium remissi fuimus, quod sanè non contigisset, sed de plano repulsam tulissemus, nisi hoc in casu locum habitura esset restitutio. Quæro ulterius, an in Camerâ detur restitutio contra sententiam inibi nulliter pronunciatam? Non dari tantùm puto, sed & necessariam esse, secus ac jure communi, *tot. tit. C. in quib. caus. restit.* ratio est, quia querela nullitatis, ut testantur Camerales, per se non invenit locum contra sententias Camerales, nec in Ordinatione seorsim præscripta est, & ex altero capite præsumitur pro sententiâ, *c. bona memoria. extr. de elect.* Ergò necesse est, ad declinandum gravamen, intendi remedium restitutionis tantùm de secundo membro.

## CAP. III.

*De Personis.*

**P**ORRÒ coram quo iudice intentandum sit hoc remedium, ex his, quæ circa definitionem dicta sunt, satis elucet, quibus verò personis id ipsum rectè tribuatur, jam ante quoque generaliter ostendimus, videlicet læsis, nec qualitercunque, sed gravamine aliquo majoris momenti, id quod puto, cognitione & arbitrio iudicis derelinqui, *arg. l. 3. ff. de restit. in integr.* Addimus hoc loco restitutionem in integrum adversus sententiam, competere regulariter minoribus 25. annis, *tot. tit. C. si advers. remjudic.* quod produco etiam ad casum, quo contra minorem inceptum est iudicium, sed calliditate adversarii ita tractum, ut tempore sententiæ, minoris jam major factus sit, quippe nihilo secius restitutio contra talem sententiam conceditur, *text. in l. 3. §. 1. ff. de min.* aliter se res haberet, quando pro adversario minoris, ex causâ contraria esset præsum-



praesumptio, quia tunc restitutionis auxilium cessare deberet, per d. l. 3. §. 1. ff. d. t. excipiuntur, qui veniam aetatis ab Imperatore impetraverint, quia hi in integrum restitui non possunt, l. 1. C. de his, qui ven. aet. Sed ut hoc beneficio perfrui quis possit, requiritur primò, ut honestate morum praeditus sit, deinde, ut si mas est 20. si foemina 18. aetatis annum jam impleverit, quorum utrumque ab allegante aetatis beneficium, per testes & instrumenta sufficienter probari debet, l. 2. C. eod. hoc tamen aetatis privilegium tantum valet quoad administrationem rerum mobilium, nam in immobilibus etiam hi, qui veniam aetatis impetraverunt, pro minoribus habentur, nec eadem alienare possunt, sine interpositione decreti, l. 3. C. eod. l. fin. C. si major. fact. alien. Porro jure minorum restituitur adversus rem judicatam, Ecclesia, c. 1. extra de restit. in integr. quod etiam extenditur, ad ipsam sententiam Papae c. 5. eod. idem statuo de uno quovis loco pio, quae Ecclesiae aequiparatur, per notata Tusch. L. M. conclus. 249. n. 1. Praeterea jure minorum restituuntur Respublicae l. 4. C. ex quib. caus. major. idem dico in civitatibus quibusvis obtinere. per l. un. C. de sol. debit. civit. Quæro an d. l. 4. extendenda veniat etiam ad omne castrum, villam, & omnem universitatem, quae per alios regitur? Non puto, ratio est, quia sub nomine Reipublicae proprie non comprehenduntur, & ex alio capite d. l. 4. Reipublicae concedit beneficium Restitutionis in modum privilegii, adeoque extendi nequit arg. §. 9. inst. de jur. natur. Quæro utrum fiscus restituatur jure minoris? Sic fert communior opinio, contra tamen puto, tum quod nulla Lege hoc ipsum caveatur, tum quod Respublica, non comprehendere, fiscum, sed ei potius opponi videatur per l. 8. ff. qui potior. in pignor. 10. ff. ad municip. tum & maxime quod fiscus per remedium retractationis de quo inferius, adversus sententias specialiter sit consultum, quò certe non indignisset, si jure minorum uteretur. Porro etiam majoribus, remedium restitutionis, adversus sententias quandoque competere, dubium non est, & specialiter apparet ex l. 33. ff. de rejudic. Verum si minor siue major restitui desideret, necessum est, ne huic remedio renunciaverit, ac in majore quidem, renunciatio qualibet, ad excludendum illum beneficio restitutionis in integrum, videtur sufficere, per l. 2. C. de jur. & fact. ignor. l. 2. C. si n. res. non poss. in minore, quia similis est facilitas, lubrico aetatis restitutioni renunciare, ac alioquin laedi, non simplex sed jurata renunciatio & praeterea jurantis pubertas requiritur, auct. Sacramenta puberum l. si alterius 3. C. si un. se maj. Sed quid in impubere? Puto de jure civili juramentum, illum be-

10.

11.

12.





neficio Restitutionis non eximere, arg. *d. auth. Sacramenta puerum*, nisi sit doli capax, ut malitia ætatem suppleſſe videatur, per *d. l. 3.* Hoc loco quaritur, an ad effectum renunciationis, necessarium sit, ut minor de beneficio restitutionis certioretur? Sic videtur dicendum argumento S<sup>C</sup>ti Vellœani, de quo etiam mulieres, ex veriore sententiâ renunciationis certiorari debent per *l. ult. §. penult. ff. ad S<sup>C</sup>tum Vell.* sed contra statuo quia in *d. auth. Sacramenta puerum & d. l. 3.* nulla planè fit mentio certi orationis, ut adeo etiam non sit necessaria dicenda. Bartol. *ad d. auth. n. 16.* facit quod etiam in casu omiſſæ certiorationis, ejusmodi juramentum ſervari poſſit, sine dispendio animæ jurantis, ut ad eo etiam, ad ſui adſtringat obſervantiam *c. 28. extr. de j. jurand.*

## CAP. IV.

*Ex quibus cauſis detur reſtitutio contra ſententia.*

14. **P**ORRÒ in univerſum quævis reſtitutio in integrum deſiderat cauſæ cognitionem, *l. 3. ff. de reſtit. in int.* Verùm ut in ſpecie reſtitutionis in integrum cauſas explicemus, quæ adverſus ſententiam competunt, in minore eadem ſatis ſunt expeditæ, nam quæcunque modo juſtæ cauſæ fuerint, minori ſufficiunt, ad petendam reſtitutionem in integrum contra ſententiam, vel etiam rem judicatam, apparet hoc ex tit. *C. ſi adverſ. rem judic. per tot.* habet tamè hoc ipſum aliquas exceptiones, 1. in ipſo judicio reſtitutionis in integrum, quia nō licet ſæpius petere reſtitutionem in integrum, ſed tunc Appellationis remedium debet apprehendi, per *l. 1. & tot. tit. C. ſi ſapè reſtitut.* 2. quando pro minore contra minorem ſententia lata eſt, præſertim caſu, quò is certaret de damno vitando, tunc enim in integrum reſtitui non poſſet, per *l. §. 6. ff. de minor.* Item 3. quando principali debitore, vel hærede ejus exiſtente, ſolvendo, ex cauſâ fide jūſſionis, adverſus mulierem egieſſet, & intuitu S<sup>C</sup>ti Vellœani, victus eſſet, tunc enim adverſus ſententiam reſtitui non poſſet, per *l. 12. ff. de minor.* Idem obtinet 4. ſi ſuccubuiſſet, adverſus tertium bonæ fidei poſſeſſorem, primo debitore vel hærede ejus idoneo exiſtente, *l. 14. ff. de minor.* Quod in univerſum produco ad omnes illos caſus, in quibus ante ſententiam, vel etiam litem motam, denegatur minori auxilium reſtitutionis, veluti ſi adverſus delictum, adverſus libertatem, ſi adverſus contractum juratum, in pubertate initum, reſtitui



tui velit, vel etiam si se majorem dicat, item quando usus sit jure communi, vel adversus omissam aut repudiatam hæreditatem, re non amplius integrâ hoc subsidium imploret, *C. si advers. delict. tot. tit. C. si advers. libert. auth. Sacramenta puberum, C. si advers. vendit. tot. tit. C. si minor se major. l. fin. C. de int. restit. l. 24. §. 2. ff. de minoribus.* Cum enim his aut similibus casibus, in judicio ordinario minor succumbat, non est ei danda restitutio in integrum, adversus sententiam, vel rem judicatam; prætextu minoris ætatis, hinc plures ex Dd. asserunt, adversus sententiam juris minorem non restitui & ratio esse potest, quod tunc usus videatur jure communi & in effectu desiderare restitutionem, in casibus prohibitis, nam si v. g. sententia pro libertate lata esset, & minor contra eam restitui vellet, sanè contra ipsam libertatem eo ipso restitutionem quæreret, quod utique impetrare non debet, sed hoc casu necessaria est appellatio facit egregiè *l. 9. ff. de appell.* Quod ad majores at-  
 17.  
 tinet, non est dubium, illis competere restitutionem partim adversus sententiam, partim contra alios actus, ex capite doli, metus, capitis diminutionis, justæ absentiæ, alienationis, judicii mutandi causâ factæ per *tot. tit. ff. & C. de dol. mal. 33. ff. de cap. min. tot. tit. ff. ex quibus causis maj. tot. tit. ff. de al. Iud. mut.* Et his quidem modis restitutio in integrum impetrari dicitur ex causâ speciali ac ll. expressâ. Cæterum an  
 18.  
 majores 25. annis hoc remedio, ob quamcunque justam causam, seu ut vocât ex clausulâ generali, si qua mihi justa causâ indistinctè uti possint, inspecto jure civili non immeritò dubitati contingit, etsi enim prætor in edicto suo, his verbis, **SI QUACUNQUE JUSTA CAUSA VI- DEATUR**, restitutionem promittat, *l. 1. §. fin. ff. ex quib. causis major.* tamen mens juris Prætorii nunquam fuit, concedere restitutionem in integrum, ex quacunque justâ causâ generaliter, sed tantum secundum materiam substratam, h. e. ex quacunque justâ causâ absentiæ, de quâ *d. l. 1.* loquitur, Apparet hoc ex *l. 26. §. fin. ff. d. tit.* ubi Ulpianus, cum retulisset hanc edicti Prætorii clausulam, in fine subjicit: Et generaliter quotiescunque quis ex necessitate, non ex voluntate a fuit, dici oportet, ei subveniendum, quasi assereret, clausula restitutionis in integrum, si qua mihi justa causa, generaliter loquitur, de quocunque casu necessariæ absentiæ, Dd. tamen communiter edictum Prætorium, quoad clausulam si qua mihi justa causa, acceperunt generaliter, adeò ut etiam majoribus ob quamcunque justam causam, planè extramateriam absentiæ indulgeri debeat beneficium restitutionis; Quæ sententia, in-  
 19.  
 spectis principiis juris communis, quoad actus extra judiciales, ex magna



9  
 20. *guâ causâ tolerari potest, ut in specie l. 3. C. commun. utriusq. judic. quando nimirum divisio admodum inæquabiliter facta est, tunc enim adversus illam, ut in melius reformetur, h. e. noviter ad æquitatem redigatur, datur restitutio in integrum text. d. l. 3. unde in Camerâ, etiamnum hodiè usitati sunt, processus citationum ad videndum se restitui ex l. majorib. Similiter in contractibus bonæ fidei majores 25. annis causâ cognitâ restituuntur ob læsionem, ut in l. 3. C. ex quib. caus. major. Sic quoque per errorem facti, lapsis succurritur, per l. 8. & fin. ff. de jur. & fact. ignor. quò spectat l. 2. ff. de restit. in integr. Verùm an adversus sententiam, neglecto Appellationis remedio, in hujusmodi casibus, detur majoribus in integrum Restitutio, controversi potest? Puto de jure civili negandum esse per l. 7. C. de jur. & fact. ignor. ubi clarè dicitur, velamento erroris facti causam decisam rescindi non oportere, quod ipsum etiam pulchrè elicitur, ex l. 2. C. sent. rescind. non poss. ubi Majoribus 25. annis, prætextu non deductæ in judicium peremptoriæ exceptionis, auxilium Restitutionis apertè denegatur. De jure Canonico ex magnâ & favorabili causâ, puto concedendam esse, etiam Majori contra sententiam, Restitutionem per c. ex literis extr. de restit. in integr. Inspecto Jure Camerali dubitandum non est, quin adversus sententiam in Camerâ latam, etiam majoribus competat Restitutio in integrum, si causæ adsint prægnantes ac novæ, Ord. Cam. p. 3. tit. 52. Quæro, quæ sint novæ causæ, an illæ tantùm quæ demùm post sententiam competere, inceperunt? Ordin. cit. loc. contra distinguit, novas causas, deductis in Judicium, ut adeò videatur, & si Exceptio vel Replicatio quædam, pendente lite, jam opponi potuerit, si tamen omiſsa sit, adversus sententiam, postmodum proficere, ad effectum Restitutionis in integrum, per argumentum ductum à loco oppositorû; Nihilominus dicendû est, causas novas, illas solùm dici, quæ post sententiam, aut certè post cõclusionem emergunt, fundamentum est, quia termini hodiè sunt præjudiciales, & lapsi cedunt in detrimentum negligentis R. I. de anno 1654. §. in dem auch fürs ander. Ergo quia ne ante quidem sententiam, post lapsum terminorum, usui ampliùs esse possunt, multò minus, obtento jam ab adversa parte præjudicio, contra sententiam prodesse debent; per d. l. 2. C. sent. resc. non posse l. 2. C. de jur. & fact. ignor. cum primis quia in dubio & regulariter præsumendum est pro sententiâ, ut in c. bona memoria extr. de elect. facit quod quis ob causas noviter cõpetentes, ne ante quidem sententiam, rescissionem conclusionis impetrare possit, nisi medio juramento, Ord. Cam. p. 3. tit. 53. ut multò minus subsequatâ*



cutâ decisione, per viam restitutionis in integrum, quæ juramentum non exigit, sit audiendus. Præterea, quænam causæ juxta Ord. justæ dicantur, ad obtinendam contra sententiam Cameralem Restitutionem in integrum, puto arbitrio judicis relinqui, qui causâ cognita, id ipsum æstimabit, *d. tit. 52.* Regulare est enim, ut in non dccisis sequamur arbitrium judicis, per *l. cum filius §. pater & ibi. Bartol. ff. de leg. 2.* Cæterum pro formali in *d. tit. 52.* requiritur, ut libellus Restitutionis in integrum sit articulatus, quod ipsum in R. D. de anno 1600. §. *wann gegen einer interlocutori*, quoad restitutionem contra interlocutoriam petitam, immutatum est, statutumque, summariter aut articulatim, in ejusmodi casu pro restitutione agere licere; Post R. Nov. §. *diesem nächst* / ubi modus libellandi articulatus planè tollitur, quæri potest, utrum prædicta dispositio Ord. etiam in Restitutionibus contra definitivas, hodiè cesset? Videtur negandum ex eo quod lex generalis subsequens, non tollat specialem priorem, per *l. 28. ff. de leg. c. cum expediat. de elect. in 6.* Contra tamen statuo, quia Lex disponens, de formando ejusmodi libello articulatim, non nititur alia speciali ratione, quàm ut causæ illæ, quarum intuitu, adversus sententiam restitutio petitur, distinctè satis exprimantur; Jam verò hæc ratio per R. N. d. §. *diesem nächst* / citra dubium sublata est, E. etiam cessare debet, modo dicta ejus dispositio, præ primis cum praxis moderna hoc ipsum satis comprobet, ut adeò hæc explicatio omninò videatur tenenda, per *l. 37. ff. de ll.*

23.

24.

## CAP. V.

*De Temp. restit.*

PROgredior ad tempus intentandi hujus Remedii, & quidem, quod ad Restitutiones minorum attinet, loco anni utilis, qui antiquitus competebat, introductum est regulariter quadriennium per *l. fin. in princ. C. de temp. in ult. rest.* Et hoc tempus, finita demùm minore ætate, seu ab initio anni 26. ætatis, currere incipit, *d. l. fin.* Excipe, speciem *l. fin. C. si maj. fact. alien. rat. hab.* ubi adversus venditionem prædiorum minoris, sine decreto factam quinquennium, adversus donationem verò ejusmodi, inter præsentis decennium, inter absentes vicennium, à prædicto tempore computandum datur; in restitutionibus majorum ex causâ absentis similiter obtinet quadriennium *d. l. fin. C. de temp. restit.* Cæterum minores non tantum ipsi restituuntur, sed & illorum

25.

26.

I

illorum



illorū hæredes, idq; juxta hanc distinctionē; aut minor succedit minori; aut succedit majori; aut major succedit minori, primo casu post cōpletū 25. annum ætatis, habet adhuc tempus illibatū ad restitutionē, secundo casu, tanto tempore restitutionem petere potest, quantum defuncto admovendam litem supererat: Tertiā denique specie, à die hæreditatis, vel acceptæ bonorum possessionis, ordinaria restitutionis tempora conceduntur, per *l. 5. C. de temp. rest.* Addi potest quartus casus, scilicet cum major succedit majori, ac tunc æstimatur ex personā defuncti & pro reliquo tempore restitui potest vid. Ant. Peretz. *ad tit. C. de temp. restit. n. 7.*

27. Præterea intra quadriennium, etiam Ecclesia restituitur, *c. 1. & 2. de rest. in integr. in 6. clem. 1. eod.* & in universum omnes illi, qui jure minorum restituuntur contra sententias Card. Tusch. *L. R. conclus. 298. n. 13.*

Circa hanc materiam quæro 1. quando his, qui minorum jure restituuntur, tempus Restitutionis currere incipiat? Respondeo à die læsionis per *d. c. 1. & 2. de restit. in 6. & d. clem. 1. eod.* Quæro 2. quantum temporis ad Restitutionem in integrum ex clausulâ generali, si qua mihi justa causâ competat? De jure civili ut paulò ante diximus, Restitutio in integrum ex clausulâ generali, si qua mihi justa causa, regulariter est incognita, consequenter etiam tempus quo illa proponi possit, exprimitur nullibi; Nec est, ut videatur, competere tanto tempore, quanto cæteræ actiones personales, juxta *l. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annorum, l. un. de annal. præscript.*

28. Nam contra, leges hæc tantum loquuntur, de actionibus ordinariis ac civilibus, ejusmodi non est Restitutio in integrum, quæ majori adversus sententiam ex clausulâ generali, hodiè datur, dicit Cardin. Tusch. *loc. cit.* dari similiter quadriennium per *d. l. fin. C. de temp. restit.* de quo tamen dubitari posse videtur, quod textus allegatus, propriè tantum loquatur, de restitutionibus majorum, ex causâ absentia; non verò clausulæ generalis, si qua mihi justa causa, prout illa hodiè accipitur; Verum quia mens Imperatoris in *d. l. fin.* disertè hæc fuit, ut Restitutionum tempora, in minoribus & majoribus exæquaret, haud immeritò hæc eadem legis dispositio, in casu non aliter expresso, ad prædictam quoque clausulam generaliter extenditur, per *l. 12. ff. de ll.*

29. Quæro 3. à quo tempore hoc quadriennium majori incipiat currere? dico conformiter ad *d. c. 1. de restit. in 6. clem. eod. tit.* quod detur à die læsionis, ita Cardin. Tusch. *ubi supra n. 26.* Quæro 4. utrum Restitutio in integrum, currat de die in diem, an de momento in momentum? Respondeo currere de die in diem, idque per *d. l. fin. C. de temp. in int. Rest.* Cum enim ibi Imperator dicat, compe-



competere Restitutionem in integrum minoribus, ex quo 26. anni dies illuxerit, similiter majoribus, ex quo reipublicæ causæ abesse, aut aliis legitimis causis, occupari desierint, & verò hic dies incipere possit, etiam si momentum nativitatis, finitæ absentia vel occupationis, nondum existat præsens, apparet sanè, computationem temporis in Restitutionibus in integrum, fieri debere à die in diem, non à momento in momentum, e. g. Titius natus est horâ secundâ diei, non ab horâ secundâ, sed à die, quo complet 25. ætatis annum, nec tantum ad horam secundam, sed ad totum diem 29. anni restitutio durabit; Idem proportionaliter dici potest de restitutionibus in integrum quæ majoribus tribuuntur, ex clausulâ generali, si qua mihi iusta causâ; Circa quod incidenter noto, adversus lapsum fataliū vel termini in Summis Tribunalibus, non per quadriennium, sed duntaxat tantum tempus competere, quantum restituendus re adhuc integra habuit: R. D. de anno 1600. §. als auch die Restitutiones, unde adversus omissam petitionem edendorum actorum intra 30. tantum dies adversus lapsum fatalium introducendæ, intra quadrimestre, & sic in cæteris, restitutionis remedium auxilio esse poterit, sed hæc obiter.

## CAP. VI.

*De Effectibus Restit.*

**P**ergimus ad effectus petita Restitutionis in integrum quorum primus est, ut eâ pendente nihil innovetur, *l. un. C. in integr. restit. postul. ne quid nov. fiat*, Ratio est, quia, ut inquit Ulpianus, in *l. 42. ff. de minor.* quòd appellatio interposita majoribus præstat, hoc beneficio ætatis, consequuntur minores, quod quidem dubium non est, quando causâ restitutionis in integrum probari potest ex continenti, verum si altiore indaginem requirat, & magis declinandæ executionis ergo, interposita appareat, non sortiri debet effectum suspensivum *c. suscitata extr. de restit. in integr.* Bartholus in *l. 4. §. condemnatum, ff. de re judic.* & post illum Antonius Perez ad *d. l. un. C. restit. in int. postul.* Sed ne hoc casu pars victa damnum incurrat ob executionem sententiæ, pars victrix idoneam cautionem de restituendo præstare tenetur: Si fortè priorem sententiam in iudicio Restitutionis rescindi contingat. *d. c. suscitata Myns. cent. 1. observ. 48. Ordin. Cam. part. 3. tit. 52.* hanc eandem distinctionem approbare videtur, præ primis ad refrenandas Restitutionem

30.

31.

32.



- tionem in integrum, frivole petentium malitias, unde etiam si evidens appareat partis vel Procuratoris Restitutionem petentis calumnia, condemnatio in expensas, & extra ordinaria pœna injungi potest *d. t. 52.* Quænam verò arripiendi hujus Remedii, justæ vel frivolæ causæ sint, uti etiam quando exinde pars vel procurator, temerè restitui desiderans in expensas condemnari, aut extra Ordinem puniri debeat, judicis arbitrio relinqui ibidem disponitur, per consequens ad idem quoq; pertinebit arbitrium, num in puncto remorandæ executionis inhibitiō discerni debeat, nec ne, & casu, quo petita restitutionis in integrum causæ relevantæ adsunt; e jusmodi mandatum petenti, deferendum, alioquin verò hoc idem denegandum videtur. **33.** Cæterum quæro an pars victrix, in tantum cavere teneatur, ut non attentatâ irrelevantiâ causarum petita Restitutionis, alioquin executione frui nequeat? Respondeo aut irrelevantia illa, est planè notoria, & tunc deferri non debet petenti restitutionem, eoque nomine cautionem, ratio elicitur ex textu *ord. loc. cit.* quia scilicet hoc in casu, sine ullo circuitu sententiam executioni mandandam esse, præcipitur; aut merita sive causæ restitutionis, quadantenus sunt dubiæ, h. e. non ita constat, de earum relevantiâ, ante judicialem discussionem, & hoc in casu, ad effectum obtinendæ executionis, petitam cautionem à victore interponi debere, puto, Ratio esse potest, quia victor in judicio ordinario, postmodum in processu Restitutionis in integrum fit reus; adeoque tenetur satis dare judicatum solvi, *tot. tit. ff. judic. solvi*, id quod fit per prædictam cautionem, de restituendo judicatum, in casum succumbentiæ. Puto tamen, quando quis idoneus non est, sufficere repromissoriam, aut etiam, præsertim parte adversa petente juratoriam cautionem, nisi fortassis suspectus sit de fugâ, qui non facile juratoriæ cautioni est committendus, atque hoc agendum, ut re vera cautum sit agenti per *l. luvibus C. de agric. & censit.*
- 34.** *Henr. Zæli. comment. ad ff. qui satisd. cog. n. 7.* Secundus Restitutionis Effectus est, ut quis in integrum jus suum recipiat, *l. 24. §. 4. ff. de minor.* Unde quantum per sententiam damni illatum est, tantum ope Restitutionis agens consequi debet, sed quid, quando sententia habet diversa capitula, an petita Restitutio, respectu certi puncti, etiam ad rescindenda cætera, pro adversario contra petentem valebit? Respondeo, id juris esse in contractibus, ut Restitutio in priorem statum fiat utrinque, *d. l. 24. & §. 4. ff. minor.* Sed hac nostrâ specie distinguo, aut capitulum illud sive punctum contra quod imploro auxilium Restitutionis, cum cæteris cohæret, aut non; Priore casu restitutio valet, respectu totius senten-



sententiæ, seu omnium ejus capitulorum; posteriore verò tantum contra punctum, contra quem Restitutionem desideravi; Quoad reliqua verò capitula, sententia, non obstante, Restitutione, valebit, nisi tamen etiam adversarius alio juris remedio illam impugnaverit, prout respondit Jctus Modestinus in l. 29. §. 1. ff. de minor. & hæc restitutione.

TIT. VII.  
DE RETRACT.

**S**eptimum Remedium adversus sententias est Retractatio, quæ cum Restitutione in integrum in multis convenit, attamen ut statim dicemus, propriè loquendo, Restitutio in integrum dici non potest. Cæterum quia hæc materia retractationis, quatenus huc spectat, secundum jus commune admodum concisa est, ideò etiam paucis à definitione modò, & aliquot circa hanc materiam formatis quæstionibus, nos hæc in re expediemus. Quod igitur ad terminum retractationis attinet, retractare idem significat, quod annullare, Card. Tusch. l. R. concl. 308. Dehinc tribuitur etiam juri protimiseos vulgò dem *Einstand* *Recht*/ quando nempe eum, qui contraxit, ex certis causis excludimus, & contractum cum omnibus cohærentibus nostrum facimus, sic terminus iste hoc in loco non accipitur, sed præcisè in ordine ad sententiam, eamque non omnem, sed duntaxat fiscalem, unde definiri potest retractatio, **QVOD SIT JURIS REMEDIUM, QVO FISCUS SENTENTIAM, CONTRA SE LATAM, INTRA TRIENNIUM A PUBLICATIONE, VEL ETIAM TEMPORE ULTERIORI, ALLEGANDO INIQUITATEM, SIVE ETIAM PRÆVARICATIONEM, AC FRAUDEM JUDICIS EX PRIVILEGIO SUO, RESCINDI PETIT.**

Dixi **REMEDIUM JURIS**, quia retractatio per l. un. C. de sentent. advers. fisc. lat. retract. introducta est, idque ob specialem fisci prerogativam; Addidi **QVO FISCUS**, etsi enim terminus retractationis etiam aliis competere, & sensu latiore, sive per comparationem ad effectum supplicationi quoque tribui posse videatur, juxta *auth. quæ supplicatio C. de precib. Imp.* tamen remedium hoc nostrum propriè est solius fisci, ut constat ex textu d. l. un. Subjunxi sententiam contra **SE LATAM**, quando enim fiscus succedit in locum privati, qui antea in disceptatione aliqua forensi succubuit, tunc remedio retractationis

I 3

non



- non gaudet, ratio est, quod eo in casu fiscus habeatur loco privati, per *l. 6. ff. de jur. fisc.* Præterea sequitur in prædictâ definitione, **INTRA TRIENNIUM A PUBLICATIONE**, hoc enim tempus, retractationi præfixum est, in *d. l. un.* unde non est necesse, ut fiscus appellet, ad declinanda gravamina sententiæ, sed sufficit ex hoc remedio, intra triennium impugnari eandem, non obstat *l. illud. 9. ff. de appell.* ubi appellatio, excluso remedio restitutionis est necessaria, respondeo enim illam terminatim tantum loqui de republica, quæ, ut paulò ante diximus, à fisco maximè differt, deinde tantum restitutio in integrum, non verò retractatio expressè excluditur, & quod maximum est, *d. l. illud. de casu speciali*, quo nimirum pro libertate pronunciatum est, juxta *tit. C. si advers. libert.* disertè loquitur, adeoque manet, fiscum regulariter non teneri appellare, si velit sententiam adversus se latam infringere, sed superesse eidem, etiam neglecto decennio remedium retractationis;
4. Porro subjuncti in præmissâ definitione, **VEL ETIAM ULTERIORI TEMPORE**, quod contingit in specie *l. fin. C. de pæn. jud. qui mal. judic. & c. 1. de re jud. in 6.* quando nimirum judex in judicâdo pretio corruptus est, vel alioquin dolū notoriè adhibuit, tunc enim etiã post lapsum triennii, remediū retractationis adversus sententiam, fisco patet, per *d. l. un.* Ex quibus conspicua est, retractationis ab appellatione, restitutione in integrum, &c. prima differentia scilicet respectu temporis, quo retractatio interponi debet. Desuper dictum est, **ALLEGANDO INIQUITATEM, SIVE ETIAM PRÆVARICATIONEM AC FRAUDEM JUDICIS**, ex his enim capitibus gravari potest fiscus per sententiam. Denique præposita definitio hæc verba continet, **EX PRIVILEGIO SUO RESCINDI PETIT**, quibus ipsis retractatio à restitutione in integrum apertè satis dignoscitur. Hæc etenim, causâ cognitâ demùm, ut supra suo loco deduximus, dari solet, nec mero jure & privilegio nititur, per *l. 3. ff. de restit. in integr. l. 24. §. 1. ff. de minor.* Econtra retractatio præcisè fundatur, in allegatione fiscalis privilegii, absque consideratione, an læsio sit satis prægnans nec ne, & si quæ sunt similia, ex quibus colligo propositum, scilicet retractationem, à restitutione in integrum, & cæteris ejusmodi remediis distinctum aliquod esse juris beneficium. Verùm ut non nihil specialius hanc materiam deproperemus, lubet aliqua per quæstiones disquirere, unde quæro 1.
6. Quis sit casus hujus nostræ legis? Respondet Bart. hic *n. 1. & 2.* Quod intelligi debeat de eâ specie, quâ fiscus fuit legitimè defensus, alioquin & cum patronus fisci abfuerit, sententiam fore ipso jure nullam per *l. 3. §. divus.*



§. *divus. & l. si fiscus, ff. de jur. fisc.* Verum ut fufius paulò inferiùs deducemus, etiam in ejusmodi cafibus retractatio locum habere potest, ratio est, quia quando judex prævaricationem vel manifestum dolum in judicando admisit, sententia est ipso jure nulla per *l. 7. C. quand. provoc. non est necess. l. 3. ff. de collusion. deteg.* & tamen etiam tunc locum habet remedium retractationis, non modò intra sed & post triennium, prout in terminis docet nostra lex un. E. indistinctè, seu de casu iniquitatis seu nullitatis, adeoque etiam indistinctè, sive adfuerit causæ, sive abfuerit, patronus fisci dispositio nostræ legis locum sibi vindicat. Lex enim generaliter loquens, generaliter etiam est intelligenda per *l. 3. C. de ll.* Quæro 2. Quis sit judex competens retractationis? Puto competentem esse regulariter superiorem, qui à judice priore, in casu appellationis debuisset provocari; Ratio est, quia idem judex sententiam à se latam rescindere nequit, *tot. tit. C. sententiam. resc. non poss.* quo facit, quod in casu supplicationis, ad effectum obtinendæ retractationis, regulariter judex competens tantùm sit Imperator, *l. un. C. de sent. præfect. prætor.* ut adeò ad eundem judicem pro retractandâ sententiâ, recurri nequeat, præprimis, quando eadem impugnatur ex capite doli sive prævaricationis, in hâc enim specie versatur proprium interesse judicis, dum scil. contra eum exinde agere licet, *ex l. fin. C. de pæn. jud. qui mal. judic.* adeoque, quia nemo judex esse potest in propriâ causâ, *l. un. C. ne quis in suâ caus.* pertinebit ad superiorem, eo casu retractare fisco adversam sententiam; Excipe casum, ubi fiscus intra descendium à die publicationis, petiisset sententiæ latæ retractationem, & quidem extra dolum vel prævaricationem, tunc enim etiam coram eodem judice, pro retractatione sententiæ agere posse videtur, per *Nov. 119. c. 5. auth. quæ supplicatio. C. de prec. Imper. offerend.* nec obstat prædictis *l. 16. §. fin. ff. de min.* vigore cujus restitutio in integrum, aut coram eodem, aut coram superiore judice agitari potest. Respondeo enim id fieri propterea, quia restitutio in integrum petenda est, ex novis & ante non deductis causis, sive quia petens restitutionem, vel suum errorem, vel adversarii circumventionem, vel quid simile pro fundamento allegat. In retractatione verò secus est, & sententia per se impugnatur ex capite iniquitatis vel nullitatis, E. Verum præterea objici posse videtur, quod supra in casu, ubi sententia ex capite nullitatis impugnatur, fori electionem respectu superioris & prioris judicis competere, assertum est. Respondeo hoc ipsum restringi, & secus esse,

7.

8.





- se, quando sententia nulliter, sed per sequiorem affectum lata est arg. Clem. Pastoralis de sent. & re jud. Quæro 3. quousque in casu prævaricationis vel cujusvis doli, licitum sit fisco, petere retractationem sententiæ, ratio dubitandi est, quod in *d. l. un. C. de sent. contra fisc. lat. retract.* tantummodò dicatur, post triennium, fisco dari remedium retractationis, nec verò exprimat aliud tempus, Ant. Perez. post Accursium & alios interpretes, ad *d. l. un. n. 3. 4. & seq.* statuit iudicis officio intra quadriennium à fisco peti posse tali casu retractationem sententiæ, non autem tempore ulteriore: Verùm cum talis sententia ipso jure nulla sit, & ab eodem etiam authore loc. cit. rectè nulla asseratur, per *d. l. 7. C. quand. provoc. non est necess. & d. l. 3. ff. de collus. deieg.* magis statuo, in tali specie, eousque competere remedium retractationis, quò usque moveri potest querela nullitatis, de quâ re suprâ. Sed quid in illâ specie, ubi fiscus agit, ad retractationem sententiæ, ob noviter inventa instrumenta? Hoc in casu, quia sententia ipso jure tenere videtur, dico observandum esse triennium ad effectum retractationis per *d. l. un. hoc tit.* nisi tamen haberet relevantissimam causam utendi instrumentis, noviter repertis, ob quam etiam majori per viam restitutionis in integrum succurri posset, tunc enim defenderem, fiscum quoque, adversus talem sententiam intra quadriennium debere restitui, *c. ex lit. extr. de restit. in int. l. fin. C. de temp. in int. restit.* vel nisi per noviter obtenta instrumenta, fiscus docere vellet nullitatem in priori instantiâ commissam, veluti si ex falsis instrumentis sententiam latam, per nova documenta probare vellet, tunc enim sententiæ, etiam post triennium, vel quadriennium, à fisco retractatio peti posset per *l. 2. C. si ex fals. instrum.* Quæro 4. utrum dispositio *d. l. un.* etiam locum sibi vindicet in sententiis, quæ atrocioribus criminibus majorem justâ pœnam irrogant? videtur tunc non posse retractari à fisco ejusmodi sententia ex ratione, quòd tacitè transactum videatur cum reo, ne atrocior pœna irrogetur, sententiam enim non genus criminis spectari vult Jctus Macer in *l. 12. ff. de pœn.* E contra tamen ratio *d. l. un.* etiam hunc casum comprehendere videtur, ut adeò restitutio concedi debeat, fisco agenti ad dignam pœnam propter exemplum juxta *l. aut facta. §. fin. ff. de pœn.* idque moribus receptum tradit Perez. ubi supra n. 8. circa fin. tantò magis ad ejusmodi quoque speciem *d. l. un.* porrigi dicendum est, quippe quod non verba tantùm patiantur, sed & usus per *l. 37. ff. de ll.* Ac de remedio Retractationis hæc breviter dicta sint.



## TIT. VIII.

DE REDUCTIONE AD ARBITRIUM  
BONI VIRI.

**P**ostremo loco recensitum est supra, remedium reductionis ad arbitrium boni viri. Quid sit autem reducere ad arbitrium boni viri, docet Bart. *ad l. 2. n. 8. C. de resc. vend.* quod sc. significet, minus vel plus, h. e. excessum vel defectum, ad æqualitatem redigere. Idque sive quis in parte vel in toto læsus sit. Tuschus *tom. 6. L. R. conclus. 73. n. 3.* Unde videtur reductio ad arbitrium boni viri habere magnam affinitatem, inprimis quod actus extra judiciales attinet, cum remedio *d. l. 2.* quam rem fufius persequi jam nostri instituti non est. Cæterum quia de jure scripto hæc materia non habet multas paginas, ideò eandem, quatenus fieri potest, similiter trademus brevibus, & quidem initio definitionem, reliqua verò per quæstiones explicabimus, quod, antequàm fiat, præmoneo, reductionem ad arbitrium boni viri à nobis hic considerari in ordine ad sententiam, ac seorsim ab actibus cæteris, quo sensu definiri potest remedium juris, **QVO SENTENTIAM ARBITRATORIS VEL ARBITRI, EX EO CAPITE IMPUGNAMUS, QVOD IS CONTRA OFFICIUM BONI VIRI, JUDICANDO NOS LÆSERIT,** quæ definitio ut superiores, continet primo genus, quod est **REMEDIIUM JURIS** adversus sententiam competens, deinde differentias à reliquis ejusmodi remediis, veluti quod detur adversus sententiam arbitratoris vel arbitri, ad quam cætera, quæ huc usq; pertractabamus remedia præcisè non restringuntur; Interim notari hic debet, inter arbitrum & arbitratozem distinctio, nam arbiter est judex compromissarius, seu is, quem partes libero consensu, ut controversiam dirimat, utrinque elegerunt; Arbitrator verò, est amicabilis partium compositor, eò electus, ut extra schema judicii, arbitrato boni viri, dubium negotium terminet; habetur hæc distinctio satis clarè in *l. 76. §. arbitratorum. ff. pro soc.* Porro adjicitur in prædictâ definitione, **EX EO CAPITE IMPUGNAMUS, QVOD IS CONTRA OFFICIUM BONI VIRI JUDICANDO NOS LÆSERIT;** hoc enim propriè querimus in reductione ad arbitrium boni viri, sententiam arbitri, quæ alio nomine laudum, vel arbitratoris, quæ arbitramentum dici assolet, per sordes vel grates, & in summâ

1.

2.

3.

K

contra



- contra quam bonus vir pronunciaret latam esse, eoque nomine nos gravari, ac sententiæ illius reformationem ad æqualitatem petere, ac contra arbitramentum hoc reductionis remedium competere, dubitari nequit, cum sit expressum in *d.l. 76. d. §. arbitrorum*. Sed an æquè competat adversus laudum, inspectis principiis juris civilis, non est similiter extra cōtroversiam, imprimis propter textum modò allegatum, ubi laudo arbitri acquiescere præcipit Iustus, de sententiâ verò arbitratoris subjungit, quod adversus illam locum invenire possit, reductio ad arbitrium boni viri, ut ad eò propter oppositionem hanc eandem contra laudum deneget, apparet hoc idem ex *l. 27. §. 2. ff. de recept. arbitr.* ubi sententiæ arbitri seu æqua, seu iniqua sit, stare, & sibi imputare jubetur, qui compromisit. Ac licet Imperator Iustinianus in *l. pen. C. eod.* introduxerit, ut spatium decem dierum sententiam arbitri contradicendo declinare liceret, tamen hæc talis contradictio, haud æquè liberare potest à pœnâ, sed mansit eatenus, sub dispositione juris veteris, *arg. l. 32. §. fin. C. de appell. c. cum expediat. de elect. in 6.* Itaque quod ad jus civile attinet, reductio nec indistinctè declinat læsionem, nec etiam contra laudum homologatum, saltem regulariter loquendo, obtinet, sed debet gravatus, ne laudum decursu decem dierum homologetur, intra hoc tempus contradictionem suam in scriptis exhibere, *d.l. pen. C. de recept. arbitr.* Quòd si fortè nulla pœna compromisso apposta sit, ante Iustinianum quidem, hoc casu lata sententiâ arbitri, in effectu inutilis fuit, ut apparet ex *d. l. pen. in princ.* Sed post dictam hujus Imperatoris constitutionem, ejusmodi protestatio & gravaminum expositio, intra decendum, ad declinandos laudi homologati effectus, omninò necessaria est, excepto casu *Nov. 82. c. 11.* quando nempe quis religione jurisjurandi compromissum obfirmare studuit, tunc enim ex laudo actio vel exceptio rei judicatæ non oritur, sic etiam casu, quo quidem sub pœna compromissum factum est, arbiter verò extra tenorem ejus sententiam dixit, non tantum ad rem judicatam ejusmodi laudum non transit, sed eidem quoque impunè non paretur, juxta *l. 25. in princ. ff. de recept. arbitr.* idem est, quando arbiter inhonestum aliquid perciperet, *l. 21. §. 7. ff. eod.* aut dolosè, vel alioquin cum inimicus capitalis factus esset, sententiam dixisset, *l. 31. l. 32. §. 11. ff. & l. arbitrorum. C. eod.* aut si duo arbitri, absente tertio, pronunciassent, & omninò, quando laudum est ipso jure nullum. Ex quibus colligo resolutionem prædictæ oppositionis; Nam de jure civili distinguendi sunt duo casus in compromisso, quia aut pœna adjecta fuit aut non, priore specie non potest

peti



peti reductio ad arbitrium boni viri, scilicet ad effectum declinandæ  
 pœnæ, & sic intelliguntur jura supra citata, nempe *d. l. 76. §. arbitrorum.*  
*ff. pro soc. & d. l. 27. §. 2. ff. de recept. arbitr.* à quâ regulâ tamen excipiun-  
 tur casus modò relati, ex *d. l. 31. d. l. 32.* cum similibus; in posteriore ve-  
 rò specie nil videtur quod obftet, quò minus etiam jure civili, post *d. l.*  
*penult. C. hoc tit.* intra decendum adversus laudum, reductionem ad  
 arbitrium boni viri peti posse defendamus, quid enim attestatio illa, ju-  
 dici vel parti offerenda, per quam, juxta *d. l. pen.* manifestari debet,  
 sententiam arbitri amplectendam non esse, aliud importat? videri po-  
 test, pro hâc sententiâ *Speculator tit. de arb. §. 1. vers. quid si.* ubi redu-  
 ctionem ad arbitrium boni viri, propriè attestationem dici asserit. Præ-  
 primis cum hâc ejusmodi attestatio non possit habere naturam appel-  
 lationis, utpote, quæ à laudo non datur, ut adeò cum hoc reductionis  
 remedio coincidere meritò videatur per *l. 1. C. de recept. arbitr.* quo fa-  
 cit, quod etsi partes compromittentes, videantur se submisisse arbitrio,  
 non tamen ita hoc præsumi debeat, quasi eo ipso consensissent, in  
 quamcunque enormem læsionem, quæque notoriè irrogaretur con-  
 tra officium boni viri, per *text. eleg. in l. 30. ff. de oper. libert.* tradere  
 solent hanc de reductione doctrinam Canonistæ in *c. veniens & c.*  
*Quinta vallis extr. de jurejurand. & in c. pastoralis. extr. de appellationibus.*  
 Circa hâc quæro 1. utrùm Reductio ad arbitrium boni viri habenda sit  
 pro specie appellationis nec ne? Affirmativam defendunt aliqui Docto-  
 res per *l. 22. §. 14. ff. de appell.* ubi per exceptionem doli, adversus senten-  
 tiam arbitri, quandam appellationis speciem introductam asserit. Ictus  
 quorsum citari etiam possent h. similes paulò superiùs à nobis allatæ;  
 sed contra est rei veritas, nam appellatio ibi accipitur, impropriè, &  
 pro quacunque defensione, contra sententiam arbitri, quæ in ordine  
 ad effectum rescissionis, appellationi videtur similis. Quinimò, quia  
 ut dictum est, à laudo appellare non licet, benè tamen contra  
 illud petere Reductionem ad arbitrium boni viri, *l. 1. & d. l. pen.*  
*in princ. C. eod.* Affirmari nequit, Reductionem sub appellatione conti-  
 neri, tanquam speciem sub genere, unde sequitur, processum Reducti-  
 onis ad Cameram devolui propriè per viam simplicis querelæ, quicquid  
 alii contradicant. Quæro 2. quis sit judex competens reductionis ad ar-  
 bitrium boni viri, superior ipsius arbitri, an verò ordinarius partis? Puto  
 hanc quæstionem ex superiore decidi posse; si enim Reductio non est  
 provocatio propriè loquendo, nec pertinebit cognitio ejus, ad judi-  
 cem superiorem laudantis, quo faciunt notata Gailii *1. observ. 149. n. 3.*

8.

9.

10.

K 2

quod



110

quod iudex ordinarius, passim in jure appelletur vir bonus, qui dubio procul est iudex competens Reductionis, ut adeò non satis congruat huic sententiæ, quod idem author *loc. cit. n. 2.* in præcedenti quæstione cum Bartolo statuat, Reductionem esse quandam provocationem. Quæro 3. quanam ad Reductionem requiratur læsio? Determinat hanc rem variè Cardin. Tusch. *tom. 6. l. R. conclus. 70. per tot.* sed duo ex illis potissimum hûc transcribi possunt, primum est quod modica læsio non sufficiat, cum jura id quod parvum est, sæpè non attendant, *ut in l. 24. §. 2. ff. de minor. l. 1. §. proinde ff. de edil. edict.* Alterum, quod in determinandâ quantitate læsionis Iudex inspicere debeat, an laudum, jam fit ratificatum, sive tacitè sive expressè, an verò non, adeò, ut priore casu, majorem læsionem exigere debeat, quàm posteriore; regulariter puto hanc rem, iudicis, ad quem cognitio Reductionis devolvitur, arbitrio relinqui, quia in non decisis regulariter illud sequi oportet, per notata Bartoli, *in l. cum filius §. pater ff. de leg. 2. facit l. 12. ff. de ll.* Ex quibus perspicuum esse potest, quid sentiendum sit de summâ appellabili respectu Reductionis, dico enim illam non quidem præcisè attendendam, utpote cum nulla lex id præcipiat, sed tamen iudicem pro re natâ & respectu appellationis, summam quoque in reductione determinaturum *per text. cit.*

120

Quæro 4. quousque liceat petere Reductionem ad arbitrium boni viris communis est sententia durare hanc facultatem per 30. annos, ut testatur Soc. *cons. 220. n. 5.* Sed rectiùs distinguendum videtur, inter Reductionem adversus laudum, & Reductionem adversus arbitramentum? In priore specie regulariter est decendum observandum, per *d. l. pen. §. si autem C. de recept. arbitr.* Excipe casum, quo quis manifestè sive etiam enormiter læderetur, quia tunc etiam adversus laudum homologatum peti posset Reductio, per notata Tuschii *tom. 6. lit. R. conclus. 68. n. 64. & seq.* & quidem usque ad 30. annos, ut aliqui statuunt apud eundem authorem *loc. cit.* Sed magis est, ut subdistinguas, utrum Reductio proposita sit per modum actionis vel exceptionis, illo casu verius est, Reductionem adversus laudum homologatum modo intra 30. annos scil. si actio sit ex stipulatu, modo intra biennium, ex capite doli, competere, per *l. 31. ff. de recept. arbitr. junctâ l. 3. C. de prescript. 30. annorum & l. fin. C. de dol.* Sed cum per viam exceptionis in ejusmodi terminis Reductio petitur, durare perpetuò, quia temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum vid. Card. Tusch. *tom. 2. lit. E. conclus. 371 n. 7.* Verùm quod arbitramentum attinet, quia incidit in speciem contractus, adeoque juxta *d. l. 70. & d. §. arbitrorum,*

130

jus



jus personale in casu læsionis natum videtur, ordinarium tempus 30.  
 annorum, quod actionibus personalibus præstitutum est, locum habere  
 assero per *d. l. 3. & l. 1. §. 1. C. de annat. except.* Quod etiam verum puto,  
 in casu, quando dolus arbitratoris est evidens, quia cum is quadantenus  
 incidit in speciem contractus, regulatur etiam secundum conditionem  
 ejus, per *l. 7. §. 1. ff. de pos. l. 157. ff. de Reg. jur.* Quæro 5. quid si juramentum  
 fuisset præstitum, de non petendo Reductionem? De jure civili hoc in  
 casu puto, standum esse sententiæ, nec posse Reductionem peti, arg.  
*Nov. 82. c. 11. Jure Canonico, quia tale juramentum servari potest, abs-*  
*que damno animæ jurantis, idem esse videtur c. 28. extr. de jur. jurand.*  
 Excipio casum, ubi sententia contineret in honesta, tunc enim non  
 obstante juramento, reductio dabitur, per *c. venient & c. quintavallis ex ir.*  
*eod.* addunt nonnulli doctores casum enormis & enormissimæ læsionis,  
 quos citat Tuschus *tom. 6. lit. R. concl. 73. n. 2. & 4.* Verùm quia de-  
 sunt prægnantes rationes, quarum intuitu, enormis vel enormissima  
 læsio, non obstante prædicto juramento, remedium Reductionis pare-  
 re possit, maneo in terminis regulæ per *c. cum expedit de elect. in 6.* sed  
 an hoc in casu absolutionem à juramento impetrare poterò, ad effe-  
 ctum intentandæ Reductionis? Sic videtur, cum nihil obstat, quo fa-  
 ciunt ea, quæ habet Tuschus *tom. 6. lit. R. conclus. 73. n. 2.* Tandem quæ-  
 ro, utrùm Reductio ad arbitrium boni viri suspendat executionem? Dd.  
 qui dicunt, quòd Reductio habenda sit loco Appellationis, tribuunt et-  
 jam eidem effectum suspensivum, citat eos, Tuschus ubi supra *conclus.*  
*75. num. 1.* sed distinguere lubet inter arbitramentum & laudum, de illo  
 quæstio non procedit, quia uti dictum, simpliciter sententia non est,  
 sed quod hoc artinet, sub distinguo, utrùm ante decendum vel post  
 petita sit Reductio, item, utrùm subsistat, vel ipso jure impro-  
 betur sententia arbitri; quando ipso jure non valet, puto nun-  
 quam transire in rem judicatam, & consequenter etiam, non mereri  
 executionem, itaque si nullitas est notoria, petita Reductio habebit  
 effectum suspensivum; per *l. 25. in princ. l. 31. cum simil. ff. de Recept. arbitr.*  
 Verùm cum ipso jure subsistit & post decendum interposita fuit, quia  
 jam tum transit in rem judicatam, executio suspendi non debebit per  
*l. pen. C. de recept. arbitr.* Altero casu, quo nimirum ipso jure non infrin-  
 gitur laudum, attamen contra illud intra decendum reductio petita est,  
 puto etiam effectum suspensivum executionis obtinere, ratio est, quia  
 sicut restitutio in integrum, cui reductio in multis æquiparatur, sen-  
 tentiæ executionem suspendit, ita etiam tempore sc. intra decendum

14.

15.

16.

K 3

petita



petita reductio, facit in primis *d. l. pen. in princ.* quando dicit, hoc in casu nihil fieri præjudicii, neque parari, vel exceptionem reo, vel actori actionem. E. multò minus executio ejusmodi laudi, obstante impedimento, petita Reductionis, locum sibi asserere poterit. Atque hæc pro ratione instituti, de copiosissimâ Remediorum adversus sententiam competentium, materiâ, compendiosè dicta sint; addi his posse videbatur secundum nonnullorum sententiam propositio erroris, sed quia, pro re natâ, formaliter vel querela nullitatis est, vel restitutio in integrum præmissis octo remediis, hanc materiam, meritò terminavimus.

F I N I S.





Strassburg, Diss., 1663-64

ULB Halle 3  
002 275 287




f

Sb.


VD 17











13.

DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA

*Simp. 32*

*1663, 75.*

REMEDIIIS AD-  
VERSUS SENTEN-  
TIAM COMPETENTIBUS,

*16*

*Q V A M*  
DEO T.O.M. feliciter assistente

*Ex Decreto*

Amplissimi Ictorum Ordinis in cele-  
berrimâ Argentoratensi Academia,

*Pro*


Honoribus Doctoralibus  
ritè consequendis,

*Solenni Eruditorum Examine*  
*sistit*

JOH. WOLFFGANGUS TEXTOR,  
Consil. Neolitho-Hohenloicus.

*Ad diem 4. Aprilis Anno M. DC. LXIII.*

*In Auditorio majori horis solitis.*



ARGENTORATI,  
Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII.

